JANI GRVTERI
CORPVS
INSCRIPTIONVM,

EX RECENSIONE

ET CVM

ANNOTATIONIBVS

JOANNIS GEORGII

GRAEVII.



I. Goeree del. *I. van Vianen fecit*

INSCRIPTIONES
ANTIQVAE
TOTIVS ORBIS ROMANI

IN

ABSOLVTISSIMVM CORPVS REDACTAE

OLIM AVSPICIIS

IOSEPHI SCALIGERI

ET

MARCI VELSERI

INDVSTRIA AVTEM ET DILIGENTIA

IANI GRVTERI:

NVNC CVRIS SECVNDIS EJVSDEM GRVTERI

ET NOTIS MARQVARDI GVDII EMENDATAE

ET

TABVLIS AENEIS A BOISSARDO CONFECTIS ILLVSTRATAE;

DENVO CVRA VIRI SVMMI

IOANNIS GEORGII GRAEVII

RECENSITAE.

ACCEDVNT

ADNOTATIONVM APPENDIX ET INDICES XXV

EMENDATI ET LOCVPLETATI.

VT ET

TIRONIS CICERONIS LIB.

ET

SENECAE NOTAE.



AMSTELAEDAMI,

EXCVDIT FRANCISCVS HALMA, TYPOGRAPH.

cIↃ IↃCC VII.

INLVSTRISSIMO. ET. EXCELLENTISSIMO

VIRO

THOMAE. HERBERTO

COMITI. PEMBROCKE. ET. MONTGOMERY. BARONI

HERBERT. CAERDIFF. ROS-PARR. FITS-HVGH

ETC. ETC. ETC

NOBILISSIMI. ORDINIS. PERISCELIDOS. EQVITI

SANCTIORIS. AVGVSTAE. REGINAE. CONSILII. PRAESIDI

HYBERNIAE. PROREGI

QVOD. DIGNVS. NOBILITATE. SVI. GENERIS. IAM. INDE AB. ADOLESCENTIA. GLORIA. ET. INLVSTRI. NOMINE MAIORVM. SVORVM. DIGNVM. SE. PRAESTITIT
QVOD. ANIMVM. EXIMIO. CVLTV. OPTIMARVM. ARTIVM. ET DOCTRINARVM. INSIGNITER. INSTRVXIT. SAPIENTIAE. QVE PRAECEPTIS. IN. OMNI. VITAE. ET. ACTIONVM. TENORE PRAECLARE. MVNIVIT
QVOD. AB. DIVO. GVLIELMO. DIGNVS. SEMPER. HABITVS. EST. VTI ETIAMNVM. AB. AVGVSTA. REGINA. DIGNVS. HABETVR. QVI SVMMIS. IN. REGNO. BRITANNICO. HONORIBVS. ET DIGNITATIBVS. ORNARETVR
QVOD. SVMMA. SEMPER. ET. PRAECLARA. DOCVMENTA. EDIDIT FIDEI. ET. PIETATIS. IN. REGES. SVOS. ET. PATRIAM
QVOD. MAGNA. EIVS. GLORIA. CREDITA. EI. FVIT. REGII. SIGILLI. CVSTODIA
QVOD. PACI. PVBLICAE. DEDITVS. AD. NOVISSIMA. DE. PACE. EVROPAE COMITIA. SPLENDIDISSIMAE. LEGATIONIS. PRINCEPS. EST. MISSVS
QVOD. MERITVS. EST. AB. AVGVSTA. REGINA. CONSTITVI. SANCTIORIS. CONSILII A. QVO. PVBLICA. VELVT. PENDET. TOTIVS. REGNI. DIGNITAS. ET. SALVS MODERATOR. ET. PRAESES. QVEM. EI. HONOREM. IAM. TRIBVERAT INVICTISSIMVS

REX. GVLIELMVS

QVOD. EI. INVITO. LICET. ET. DEPRECANTI. SVMMA. ORAE. MARITIMAE ET. CLASSIVM. PRAEFECTVRA. EST. COMMISSA. EO. QVE. DEINDE. NON ANNVENTE. SOLVM. SED. PLAVDENTE. AD. REGIVM. PRINCIPEM. EST DELATA
QVOD. OMNIVM. CIVIVM. SVORVM. ORE. NE. IAM. REGES. DICAM. ET. PRINCIPES EXTEROS. QVI. EIVS. NOMEN. SEMPER. HABVERVNT. IN. PRETIO. EIVS. QVE

ME-

MERITA. INSIGNIA. EXTOLLVNT. CONSTANTER. CELEBRATVR
QVOD. PRAETER. HAEC. OMNIA. ALIA. QVE. QVAE. ORATIONE COMPLECTI
DIFFICILE. EST. ANIMVM. ADIECIT. AD. STVDIA. LITERARVM. ET
ANTIQVITATIS. COGNITIONEM
QVOD. EO. ANIMO. INGENTEM. SIBI. THESAVRVM. COMPARAVIT. VETERVM
NVMMORVM. LITERARIAE. QVE. SVPELLECTILIS
QVOD. ISTAS. VETERVM. TEMPORVM. RELIQVIAS. PERITA. MANV. VERSARE
EST. DOCTVS. QVOD. OMNINO. RARVM. EST. IN. VIRO. TANTA. IN
DIGNITATE. POSITO. ET. REBVS. REGNI. ADMINISTRANDIS
OCCVPATISSIMO ·
QVOD. COMIS. AFFABILIS. HVMANVS. OMNIBVS. AMICVS. LITERATIS. ET
SCIENTIARVM. PROMOTORIBVS. IPSE. PROMOTOR. OMNIS. DOCTRINAE. ET
ELEGANTIAE. INVIDIAM. TOT. VIRTVTVM. FELICI. CONSOCIATIONE
PRIDEM. DOMVIT. ET. SIBI. SVBIECIT. ACCEDENTE. IAM
NE. QVID. EIVS. VIRTVTIBVS. DESIT. PER. GRATIAM. ET. FAVOREM

AVGVSTISSIMAE. REGINAE

NOVA. EA. QVE. IN. EXCELSO. LOCO. POSITA. ADMINISTRATIONE. REGNI. HYBERNIAE
HOC. OPVS. INCOMPARABILE

ANTIQVARVM. ORBIS. ROMANI. INSCRIPTIONVM

AB. INLVSTRISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS. QVE
VIRIS
IOSEPHO. SCALIGERO
MARCO. VELSERO
IANO. GRVTERO
OLIM. COLLECTARVM
ET. EX. SECVNDIS. GRVTERI. CVRIS. EMENDATARVM
AC. DOCTISSIMIS
MARQVARDI. GVDII
ADNOTATIONIBVS
LOCVPLETATARVM
ACCEDENTIBVS. HVC
VETERVM. LAPIDVM. CVM. SVIS. INSCRIPTIONIBVS
FIGVRIS. NITIDISSIMIS
CVRA. ET. LABORE
IANI. IACOBI. BOISSARDI
NEC. NON
IOANNIS. GEORGII. GRAEVII
VIRI. INCOMPARABILIS
NVPER. MAGNO. OMNIVM. LVCTV
ORBI. LITERATO. EREPTI
OBSERVATIONIBVS
OBSEQVII. ET. HONORIS. CAVSSA
L. M. Q
D. D. D

INLVSTRISSIMO. AC. EXCELLENTISSIMO. NOMINI. EIVS

DEVOTISSIMVS
FRANCISCVS. HALMA

BE-



GRAEVIVS HIC ILLE EST, PER QVEM ROMANA VETVSTAS
SORTITA EST VITAM POST SVA FATA NOVAM:
CVI DEBENT LVCEM LATII MONVMENTA POTENTIS,
RVDERAQVE ET PRISCIS MARMORA CAESA NOTIS;
QVEM CHARITES LVGENT RAPTVM, QVEM LVGET APOLLO,
ET VEHIT INGENTIS NOMEN AD ASTRA VIRI.

DAVID HOOGSTRATANVS.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

PETRVS BVRMANNVS.



Um omne humaniorum literarum ſtudium, quod olim Cimmeriis tenebris immerſum, ante tria fere ſecula in lucem protrahi coepit, duplici fere praeſidio nitatur, libris nimirum, qui divinas & humanas ſcientias, ab antiquioribus memoriae mandatas conſervant, & ex quavis materia & metallo monumentis, quae non menti ſolum, ſed oculis quoque priſci aevi reliquias ſubjiciant, utriſque conquirendis & laborem ingentem & immenſos ſumptus viri egregii aliquo abhinc tempore impenderunt: Codices vero, ante repertam typis deſcribendi artem, manu exaratos comparare facilius & magis obvium erat, cum propter eorum copiam, tum quia non tam care venire olim ſolerent, ut non quivis modicam bibliothecam inſtruendi facultatem haberet. Sed numiſmata, ſupellectilem antiquam, lapides & cetera antiquitatis monumenta, conquirere Principum fere virorum & Regum ſemper cura fuit, qui palatia, atria, porticus & interiora domuum membra his omnium gentium ſpoliis exornare conſueverunt. Quae cum ita, quaſi eruditorum commercio eximi viderentur, (nam neque omnibus conſpicienda patebant, neque propter molem & pretium in peregrinas terras, ad quas paulatim eruditio exſpatiabatur, tranſportari poterant) coeperunt illi, qui ſub Maecenatum horum praeſidio & clientela literarum ſtudia promovere nitebantur, ea cum orbe univerſo chartae impreſſa communicare. Quorum cum ingens, & majus quam vulgo quidem exiſtimatur, meritum ſit, non alienum ab inſtituto mihi fore videtur, ſi breviſſime, & quantum praefationis anguſtiae patiantur, eorum nomina & ſimul in rempubl. literariam officia recenſeam. ut ſciant illi, qui in excolendis Romanis & Graecis literis hodie labores ponunt, quibus incrementum omnium fere humaniorum diſciplinarum maximum debeant.

Ut vero prima literis omnibus lux nobis ab Italia adfulſit, & in exilium a Barbaris actae muſae Mediceae domus hoſpitio primum recreari coeperunt, ita in illa orbis parte primi exſtiterunt, qui in conquirendis marmoribus & titulis veteris aevi operam ſuam poſuerunt. Praeerat quoque circa eadem tempora Romanae Eccleſiae Nicolaus

 V.

V., vir & ipſe eruditus, & ſummus eruditorum fautor, cujus ſtudio erga literas plurimum poſteriora ſecula debent. Is inter alia praeclara promovendae rei literariae officia Cyriacum Anconitanum Graecum, uberrimo viatico inſtructum, per varias orbis partes miſit, ut lapides veteres conquireret, ut docent Amantius & Apianus in principio Inſcriptionum ſuarum. pag. 1. Qui egregie adminiſtrata hac ſibi mandata provincia, lapidum titulos plurimos in unum volumen conjecit, & ob induſtriam hanc Antiquarii cognomen retulit. Celebrat praeter alios ejus induſtriam Angelus Decembrius de Politia literaria parte LIV. ubi utilitatem, quam literarum ſtudioſus ex antiqui ævi reliquiis capere poteſt, commendat, & docet veterum monumenta eſſe cognoſcenda. *Cujus quidem rei maxime ſtudioſum ferunt quendam aetatis noſtrae celebrem virum Cyriacum Anconitanum, Graecarum rerum ſtudioſiſſimum, ob id cupide etiam Graecorum antiquas, longinquaſque nationes adeuntem.* Multis quoque ardentiſſimum ejus ſtudium inveſtigandi vetuſti temporis Inſcriptiones celebrat & praedicat Franciſcus Philelphus in lib. I. Epiſt. 12. 18. & lib. IV. Epiſt. 4. 9. lib. V. Epiſt. 22. 23. 50. lib. VI. Epiſt. 49. Antonius tamen Auguſtinus dialogo IX. & XI. plurimas ab eo confictas fuiſſe Inſcriptiones, & fucum factum Apiano, refert, qui praeſertim Hiſpanicas multas, ut genuinas, protulit, cujus judicium à multis, & praecipue ab Emerico Bigotio confirmatum mox videbimus. An vero Epigrammata, quae undique collegerit, publicaverit, affirmare non audeo, cum eorum mentionem à nullo fieri videam. Itinerarium quidem ſuum edidiſſe videtur; nam illud laudat Torellus Sarayna de amplitudine Veronae lib. II. & ex eo verba, quibus amphitheatrum Veronenſe deſcribit, adducit. Fabricium quoque in deſcriptione Romae ejus meminiſſe docet Simlerus in Epitome bibliothecae Geſnerianae: collectas autem ab eo Inſcriptiones, & manu ejus deſcriptas, in bibliotheca quadam publica repoſitas, poſtea producenda Petri Sabini verba docebunt. Ante aliquot etiam annos Illuſtris Cardinalis Barberinus, Cyriaci Inſcriptiones juſſerat typis deſcribi, inceptum tamen opus tantum, numquam perfectum, ut didici ex literis Emerici Bigotii ad Nicolaum Heinſium, quae quoniam adhuc latent in ſcriniis noſtris, quamquam mererentur ob egregiam rerum literariarum, quam continent hiſtoriam, publicari, excerpta hic quaedam quae ad hanc rem ſpectant, producam. Ita Roma 27. April. 1660. ſcribit vir Egregius. *Mr. Morovi Bibliothequaire de Mr. le Cardinal Barberin, m'a priè de vous ſaluer de ſa part. Il fait imprimer le catalogue de la bibliotheque de ce Cardinal. Il a fait imprimer toutes les Inſcriptions, qui ſont a St. Paul* in via Oſtienſi, *un reçeuil de Cyriacus Anconitanus de pluſieurs qui ſe trouvent en Illyrie. Il en veut ajoûter un infinité d'autres. Cette edition eſt fort belle in folio. Je liſois l'autre jour dans Schottus.* Inſcriptionum Cyriaci Anconitani pleraeque fictae ſunt. *Voila un mauvais prejugé. J'en parlerai au Sr. Morovi.* Et iterum

in

in Epiſtola Rothomago ſcripta 25 Septemb. 1664. *J'ai receu depuis peu des lettres de M. Falconnieri, il ne me parle point des Inſcriptions de Morovi, je ne laiſſerai pas de vous en mander, ce que vous en devez croire. Le Cardinal a fait imprimer autrefois toutes les Inſcriptions de l'Egliſe de St. Paul* in via Oſtia, *qu'il m'a donnez, & commencé a imprimer un receuil d'un nommé Cyriacus, qui a la reputation d'avoir falſifié, & feint pluſieurs Inſcriptions, cela eſt demeuré la, & je ne penſe pas que le Cardinal Barberin continue jamais a faire imprimer le receuil d'inſcriptions qu'il a fait ramaſſer.* Magnum quoque in hoc ſtudiorum genere nomen meruiſſe Joannem Marcanovam medicum Patavinum, patet ex iis, quae ejus civis Laurentius Pignorius in Symbol. Epiſtol. III. adfert, ita ſcribens: *His in Italia noſtra principibus ſuccenturiabam ego Joannem Marcanovam medicum noſtratem, qui magno auſu Bibliothecam inſtruxit codicibus ſcriptis, veteribus nummis & inſcriptionibus antiquis, quas ex Italia & aliis regionibus magno numero conquiſivit, & accurate deſcriptas conjecit in librum, quem Anno MCCCCLXV. ipſe inſcripſit Malateſtae Novello Caeſenae Principi, inchoatum Patavii, perfectum Bononiae. Vidimus autem tu & ego non ſemel apud Clariſſimum Virum Jo. Vinc. Pinellum, qui commodato acceperat a Canonicis Regul: S. Joannis in Viridario, quibus Marcanova illum olim cum reliqua bibliotheca legaverat.* Ex hujus collectaneis Patavinas inſcriptiones plurimas adducere ſe teſtatur Bernard. Scardeonius de antiquitate civitatis Patavii praefat. lib. I. claſſ. IV. Supereſſe adhuc hodie autographum Marcanovae, docet nos in doctiſſimo libro Philippi à Turre, qui monumenta veteris Antii Romae edidit ante ſeptem annos, & Capite VIII. de inſcriptione M. Aquilii, ſecum inde communicatam inſcriptionem ab Apoſtolo Zeno narrat.

Marcanovae ſubjungit Pignorius Andream quendam Mantineam, Patavinum Pictorem, de quo mihi nihil praeterea conſtat, niſi quod eundem eſſe ſuſpicer, cui Polyc. Palermus lib. II. de vera patria Plinii refert, Felicem Felicianum dedicaſſe Inſcriptiones per Italiam ab ipſo collectas, ut narrat Reineſ. ad Inſcr. claſſ. XI. II. niſi quod ibi vocetur Andreas Mategnas. Sed notior, propter plurima ejus in literas merita eſt Joannes Jucundus Veronenſis, quem Laurentio Medici familiariſſimum idem Pignorius, in unum corpus coegiſſe M M & amplius inſcriptiones, teſte Politiano adfirmat; & ejus codicem annis praeteritis exſtitiſſe apud Stephanum Magnum Patritium Venetum, Onuphrium Panvinum lib. VI. p. 167. Antiq. Veron. referre, ait. Fuit hic Jucundus profeſſione Architectus, deinde Monachus familiae Praedicatorum, impenſe laudatus a Budaeo lib. III. de aſſe. p. 401. & lib. V. p. 602. & a Julio Caeſare Scaligero, cujus praeceptor fuerat, ut ipſe aliquoties in Exercitationibus ſuis teſtatur. Vid. Exercit. 104. 329. & 331. Poſt illos tentavit idem, obſcurior & non niſi praeceptoris ſui M. Antonii Coccii Sabellici beneficio notus Petrus Sabinus, cujus Epiſtola ad Sabellicum, inter ejus Epiſtolas relata, lib. IX. Ep. I. haec exhibet verba: *Scito me eo uſque in ejuſmodi veterum monumentorum indaginem*

progressum, ut partem ex iis, quae ipse hinc inde conquisivi, partem ex Kyriaci Anconitani, & cujusdam fratris Jucundi plusculis quaternionibus, quos Laurentio Medici obtulit, fidelissime conscriptas, & ex tota fere Europa collectas, neglectis rejectisque vulgaribus ac plane gregalibus epigrammatis in unum corpus congesserim, addiderimque Ethnicis ipsis etiam circiter ducenta temporum Christianorum, non hercule habenda contemtui: sunt enim citra millesimum ac ducentesimum annum in nostram usque aetatem collecta quae non mediocri usui scribenti tibi esse possunt ad confirmanda sive improbanda nonnulla, quae ancipitem videantur sententiam distrahere: & tum in urbe, tum vero extra urbem pertinaci acrique studio perscrutatis ac discussis quibusque angulis rimati sumus ex marmoribus & vermiculatis apsidum sacrarum operibus, nec non & ex vetustissimis sacrarum bibliothecarum codicibus. Haec nos superiore hyeme Francorum Regi obtulimus, recitatis ei coram carminibus nostris quinquaginta, quae visus est non aspernari. Et quoniam hoc, nisi me mea fallit opinio, intra paucos menses impressioni mandabitur, est mihi (si Deo Opt. Max. placuerit) propensissimus animus ad te omnia impressa mittere, ut inde, tamquam ex florido prato, excerpas, si quid interluceat, quod tuis aeternis voluminibus Enneadum perpetuitati mandatum consecretur.

Sed non prodiisse umquam hujus Sabini Corpus Inscriptionum puto, quia a nullo, nec ab ipso quidem Grutero in indice auctorum, quorum scripta ipsi profuerunt, ejus mentionem factam viderim.

Praeter hos reperio etiam circa ea tempora Franciscum Philippum Pedemontium per Italiam Inscriptiones lapidibus incisas collegisse, & in eas annotationes confecisse, quas judicio Petri Victorii submisit, ut patet ex Victorii lib. III. Epistol. VIII. sed nec eas prodiisse umquam puto, cum in Gruteriano indice nulla ejus memoria exstet. Andream Alciatum quoque Jurisconsultorum principem, variarum Inscriptionum silvam, opus multae & lectionis & observationis prae manibus habuisse testatur, qui id apud eum viderat, Hadrianus Junius in Epistolis pag. 100. qui & a Wechelio illud ut excuderet impetrare nitebatur.

Haec fuere prima hujus studii in Italia cunabula, & pulcherrimi operis, postea perficiendi, initia. Primus vero qui publicis typis Inscriptiones descripsit, quantum quidem indagare potui, videtur fuisse Jacobus Mazochius, Academiae Romanae Bibliopola, qui auctoribus Angelo Colotio & Marco Volaterrano Aquinatio Episcopo & aliis ejus tempestatis doctis Viris auctoribus, Urbis Romae Epigrammata A. MDXXI. Leone X. Sedem Romanam tenente, edidit. Anton. Augustinus autem in fine Dialogi XI. hujus libri Editorem fuisse Andream Fulvium testatur. An autem Inscriptiones antiquae, quas ex tota Italia collegit, & uno volumine comprehendit Sebastianus Maccius miro labore & industria, ut refert Janus Nicius Erythraeus in Pinacoth. I. pag. 278. prodierint umquam, ignorare me fateor, cum nec hujus nomen in Catalogo, Gruteriano Thesauro praefixo, conspiciatur. Meminerunt hujus Maccii, inter reliquos Italos,

qui

qui Inscriptionibus colligendis insudarunt doctissimi actorum Eruditorum collectores Lipsienses Ann. 1683. pag. 113. ubi etiam laudant Joan. Zaratinum Castellinium, quem idem Erythraeus Pinacoth 1. p. 51. testatur *adeo studiosum fuisse Inscriptionum veterum, ut in eis perquirendis interpretandisque pene mori videretur. Et quo fiebat, ut quoad Romae vixerit, nullus fere dies fuerit paulo serenior, quin in aliquo praedio vel agro conspiceretur, ubi ex veterum villarum ruinis saxa vel lapides effoderentur, ut si quae in iis tabulae marmoreae, Graecis vel Romanis notis insculptae, inventae essent, vel eas precio auferret, vel quod in iis scriptum esset, in sua pugillaria referret.* Sed horum, si qui olim exstiterunt, labores fama obscura recondit. Recentiorum Italorum, qui proximo seculo eruendis & evulgandis his antiquorum temporum monumentis nomen meruerunt, ut Thomasini, Onuphrii, Scardeonii, & plurimorum, qui dum patriae unusquisque suae antiquitates illustrant, passim marmora & lapides congerunt, recensendorum laborem facile praetereo, cum unicuique, in nostris literis non plane peregrino, sint notissimi. Sed ut propius ad fontes, ex quibus Gruterianus Thesaurus fluxit, accedamus, videamus, quid in Germania, postquam elegantioris disciplinae cultus Alpes superavit, viri egregii praestiterint. In initio seculi sexti decimi primus & summus literatorum Maecenas celebrabatur Raymundus Fuggerus, qui non ipse modo literas impigre colebat, sed eruditos impenso favore fovebat, pecuniam & sumtus ad studia per Germaniam diffundenda suggerebat. Hoc ergo auctore, & impensas subministrante, Bartholomaeus Amantius, Landspergianus Bojus, Poëta & humaniorum literarum Ingolstadii professor, & Petrus Apianus, Mathematum ibidem professor, subministratas sibi a Fuggero, Pirckheimero, Peutingero, Cholero & aliis per Germaniam viris eruditis, Inscriptiones digerere, & typis divulgare aggressi sunt, & anno MDXXXIIII emiserunt. Meminerunt viri hi eruditi in praefatione sua, Inscriptionum quarumdam Moguntinensium, quas & in suum corpus transtulerunt, aliquot ante annos typis excusarum, sed quo auctore prodierint non memorant. Post hunc primum Transalpino Orbi thesaurum expositum, certatim invasit Germanos, & Belgas, qui privam Italis ex literis gloriam jam in aliis partibus eripuerant, hanc quoque laudem ipsis dubiam faciendi ardor, & ex ipsa Italia, ubi negligentius jam haberi incipiebant studia, & in qua ipsi peregrinabantur, spolia egregia domum referendi. Inter eos maxime eminuit Martinus Smetius (perperam ab Eruditis Lipsiensibus Henricus dictus; ille enim alius, & professione medicus fuit) qui qua industria per sex annos Italiam perreptaverit, qua infelicitate tanti temporis fructus perdiderit, & quo denique fato, perditae post ejus fata Inscriptiones in Jani Douzae manus pervenerint, copiose nobis enarrat Flayderus, qui vitam Gruteri recensuit, & quae huic Corpori praemissa est, pag. 49. Hunc Thesau-

rum ut recuperavit magnus ille Bataviae Musagetes Douza, auctoritate sua effecit, ut Ordinum Hollandiae jussu typis splendidissimis a Raphelengio excuderetur, ejusque cura Justo Lipsio mandaretur, qui non accuratissime modo ut ederentur curavit, sed & auctario plurimarum Inscriptionum, quas ipse undique conquisiverat, locupletavit. Prodiit volumen illud splendore suo dignum tam Illustribus Proceribus, Lugduni Batavor. MDLXXXVIII. & tam diligenti & exacta cura procurata fuit editio, ut dubitem an umquam simile aliquid ex officinis Typographicis exierit. Et utinam Commelinus voluisset, vel potius potuisset, imitari illius editionis splendorem & elegantiam, & tam egregium Thesaurum non tam vili amictu prostituisset. Hoc Smetiano labore certe incitatus fuit literatorum omnium princeps Josephus Scaliger, ut gazas illas locupletatas in publicum extruderet: sed utinam ille heros eosdem illos Proceres, qui tam liberaliter impensas priori editioni suppeditaverant, exorasset, ut secunda munificentia Orbem literatum demererentur; sed an non tentare fuerit ausus, an repulsam passus, incertum, magno harum reliquiarum detrimento, ad Hieronymum Commelinum, Typographum Heidelbergensem, qui eo tempore non modo in arte typographica principatum obtinebat, sed ipsam etiam doctrinae laudem illis, qui eam profitentur, dubiam faciebat, se contulit. Qui cum recepisset in se Smetianas Inscriptiones recudendi & insigni accessione locupletandi partes, paulo post exstinguitur. Non quiescit vero Scaliger, sed Filium ejus Joannem, (dubito an filius an frater fuerit) paternae famae succrescentem impellit, ut illud opus suscipiat, & simul Janum Gruterum, Virum unice ad juvanda studia natum, & cujus industriae & fidei plus debemus, quam centum paedagogorum obscurae diligentiae, oppugnat omni vi, ut ejus ductu haec provincia susciperetur, quod ut facilius persuaderet, ipse Scaliger difficillimam & molestissimam portionem laboris in se derivari patitur, & in Indice conficiendo decem solidos menses, a summo mane ad tempus coenae impendit, ut saepius in Epistolis suis Douzae, Velsero & praecipue Grutero ipsi scriptis refert. Ex quibus ab illa, quae numero 405 insignitur, ad 427 facile quis omnem prioris istius editionis rationem conficere poterit. His viri summi auspiciis adactus ad laborem Gruterus, statim per omnem Europam ad Eruditos literas dimittit, obsecrans & per omnia Musarum sacra obtestans, ut unusquisque symbolam conferat, neque quisquam fere alicujus nominis fuit, qui deesse voluit, sed omnes certatim lapides ad exstruendum hoc sanctissimum templum comportarunt. Quorum memoria ne periret, homo grata, si quis umquam, mente praeditus, ubi Duumviris Scaligero & Velsero primas detulisset, reliquorum omnium nomina praefationi suae, ut aeterno peplo intexuit. Quis non istius aevi virorum ingenuam eruditionem, & pro-

cul

cul ab omni ostentatione & fastu modestiam admiretur, qui cum infinitos labores & taedia, de quibus in privatis epistolis libere inter se conqueruntur, devorarent, & scirent, post tot vigilias illi operi impensas, nihil ultra Actuariorum vel Mediastinorum se nomen relaturos, tamen non desisterent, relictis aliis, ex quibus amplior fama & gloria manebat, scriptis, haec in commune conferre. Quis hodie imitaretur singularem Scaligeri liberalitatem, qui cum jure suo Smetiani hujus laboris augmentum sibi adscribere posset, omne suum jus Grutero transcribit, neque Indici, a se confecto, neque Observationibus, quibus plurima in lapidibus corrigit & illustrat, nomen suum praefigi voluit, sed hoc industriae Gruterianae praemium tribui a posteritate voluit, ut solus ille omnium laudes referret. Nam Scaligerum auctorem notarum brevium, quibus quaedam Inscriptiones illustrantur & emendantur, fuisse ex iisdem Epistolis passim apparet: quamvis Gruterum quaedam ex sua penu interspersisse pateat ex notis ad pagin. DCCCXII. 6. & MCXXIX. ubi iteratas saepe inutiliter Inscriptiones, & se invito mendas irrepsisse conqueritur; & praecipue ex nota ultima ad pagin. MCLXXVII. 9. apparet Scaligeri pleraque esse, quae illic leguntur, & Grutero ne plura adnotaverit obstitisse, quod adversaria sua eo temporis articulo non habuerit ad manum. Cum vero hic liber a Grutero emissus esset, incredibile dictu est, quanto coeperint studio Viri Eruditi per omnes Europae partes lapides antiquos scrutari, & has gemmas operibus, quae subinde argumentum ex antiquitate aliquod continerent, inserere. Ita ut jam literarum Antistites divenditis, & non nisi carissimo pretio venalibus Gruteri Inscriptionibus, consilia inire coeperint hanc antiquitatis partem ulterius excolendi. Et inter eos primam post Gruterum laudem meruit Reinesius, qui ex libris virorum doctorum magna diligentia tot Inscriptiones collegit, & ab amicis suis conquisivit, ut supplementi insignis instar sint, doctissimo praeterea commentario plurimas illustravit. Apud Anglos quoque Arundelliana & Seldeniana, & ex utrisque conflata Oxoniensia avide a viris doctis accepta fuerunt. Inter Gallos Sponius praecipuum in hoc studio decus tulit. Sed horum omnium famam longe obscuravit, qui nuper magno Reipubl. Literariae damno ereptus est, Fabrettus, qui recens inventorum lapidum tantam copiam protulit, ut mirari debeamus, unde post diligentissimam tot studiosorum huic rei inquisitionem illi prodierint. Ut taceam, quae post ea tempora in Italia protulerunt literata saxa Ursatus, Caesar Malvasia, Norisius, de Turre & plurimi alii, qui veterem genti suae gloriam ab integro vindicare conati sunt. Sed cum Inscriptiones veterum lapidum tunc maxime eruditis utilitatem aliquam praestare possint, cum certis locis descriptae & ordine quodam dispositae ita sint, ut de argumento aliquo laborantes, ea subsidia inde petere possint,

quae necessaria sunt, nihil optabilius certe foret, quam si omnes adhuc reperti tituli in unum corpus conjici possent, ut ex illo Thesauro quotidie depromere aliqùid possint eruditi, qui nunc pluribus libris, quibus continentur, ob pretium & caritatem carere coguntur, aut si possideant, vix memoria complecti possint, ubi quid proposito suo accommodatum reperire possint. Hujus voti compos tamen futurus fuisset Orbis, si vel Graevio hoc beneficio omnes demerendi cogitatio juniori subiisset, vel senectutem illi protendere divina benignitas voluisset.

Quod enim vix toto seculo contingere semel solet, ut tali operi manus adhibere vel eruditione excellens Vir, vel operam addicere Typographus aliquis non vulgaris velit, fortuna dederat, ut auspicia sua commodare vellet, omnium, qui hodie vivunt, literatorum princeps Graevius, & sumptus & diligentiam, quam omnibus a se productis libris adhibuit, offerret inter Typographos non ultimus Franciscus Halma.

Stimulos utrique addebat, ardor ille animose Gruteri corpus, si quod in auctione aut taberna venale esset expositum, ementium, quem auctum iri non vane sibi pollicebantur, si accuratior Inscriptionum editio, quae & chartae bonitate, & typorum elegantia primam superaret, & emptores magis alliceret, produceretur, & reliquis, postea congerendis, Inscriptionibus praemitteretur. Sed accendebant alia, quae emtores conciliarent lenocinia; in manus enim Celeberrimi Graevii venerat Cl. Gudii exemplar, cui ille doctissimas observationes non modo adscripserat, sed si quid in illis lapidibus, quos in Italia ipsi spectare contigerat, erratum esset, correxerat. Neque Gruteri tantum Inscriptiones recudendi impetum ceperat Celeberrimus vir, sed quia idem Gudius immensam vim titulorum, numquam adhuc publicatorum congesserat, consilium cum Typographo inierat, alterum volumen adjiciendi, in quod ordine illo, quem Gruterus instituerat, servato conjiceretur, quidquid veterum lapidum post Gruterum viri docti protulerunt. Cum autem non unius, nedum senis, viri hic labor esset, in partem laboris me & Eruditissimum virum Eduardum Holtenum assumpsit, ut quantum festinatio Bibliopolae, qui statim a consilio hoc capto manus operi admovere flagrabat, permitteret, Gruteri corpus recenseremus, & si quid memineramus à viris doctis ad Inscriptiones aliquas observatum esse adjiceremus, ipse autem Gudianas notas subjiceret. Ita distributis operis initium fit excudendi hujus Thesauri, sed cum dimidia fere parte descriptus esset, nos non modo suavissima ejus consuetudine, & certissimo in literis ductu privamur, sed Orbis Eruditus ingenti spe, quam de plurimis ab eo adhuc elaborandis scriptis, & imprimis hujus corporis consummatione conceperat, destituitur. Post luctuosissimum ejus obitum, non

non fas mihi fuit subterfugere provinciam a viro summo, etsi me imparem esse pulchre callerem, relictam suscipere. Indices vero recensendi & locupletandi laborem Vir Reverendus Holthenus in se suscepit, de cujus industria & labore neminem rite judicare posse existimo, nisi qui simili pistrino se inclusum aliquando vidit. Sed ipse Vir doctissimus, ea, quae laborem illum spectant, in Praefatione ultimae isti Gruteriani operis parti praefigenda abunde lectorem docebit. Mihi vero antequam te dimittam, B. L. pauca adhuc quaedam de hujus editionis ratione sunt monenda, ne quis illis, qui omnia, etiam quae unice in utilitatem literatorum, nulla fere spe lucri suscipiuntur, detrectare & carpere solent, calumniandi locus relinquatur. Fatemur equidem, potuisse quidem hoc corpus Inscriptionum alia facie & ordine produci, quam olim a Grutero productum fuit: nam & animadvertere facile licet, Virum illum tanta mole negotiorum, quae pro literis gessit, obrutum, non ad singula satis attendisse, neque digessisse satis apto ordine quaedam; plurimas etiam Inscriptiones alieno loco posuisse, multas bis terve, nullo certe literarum bono, & magno chartae dispendio diversis locis repetivisse. Ne quis autem putet, quaeso, nos ne cogitasse quidem de hac macula, quae pulcherrimum corpus deformabat, delenda; sed retrahebat alterum & multo gravius, in illa medicina adhibenda, incommodum: Ita enim contracta libri mole, & inductis Inscriptionibus, quae sine ullo fructu saepe repetuntur, decrevisset etiam paginarum numerus, qui omnino servandus erat, nisi plane inutilem omnibus, qui literis operam dant, hanc editionem reddere voluissemus; omnes enim Eruditi, quotquot lapidum veterum auctoritate & testimonio utuntur, non aliter eos adducere solent, nisi demonstrata Gruterianae editionis pagina: quare non expediebat inutili labore transpositos lapides quaerendi studiosos antiquitatum fatigare, & omnium querelas & convitia in nos provocare.

Expostulabunt praeterea rigidi alieni laboris exactores, non eam adhibitam fuisse diligentiam, quam par erat, in conquirendis ex virorum doctorum scriptis, illis, quae illustrandis vel emendandis marmoribus facere videri possunt, & malent illi ob praeteritas quasdam observationes irasci, quam ob adjunctas gratias agere. Sed sciant illi, partim id accidisse nimia festinatione, qua jam typis exscribi coeperat hoc corpus, antequam ego ad societatem laboris advocarer, partim hanc jacturam a Viro Reverendo Holtheno reparatam, qui & propria industria, & collatis a Celeberrimis Almelovenio, Massonio & aliis symbolis, plurima in appendicem conjecit, quae si res integra fuisset, nos quoque melius ipsis titulis subjicienda fuisse censuissemus. Si quid prætera desideret aliquis fastidiosior, cogitet, quaeso, quanti operis tale negotium, & quam non rite ab uno aut altero

id adminiſtrari poſſit, cum neque Scaliger neque Gruterus, at qui viri! potuerint cavere, quin innumeri errores in hoc corpus irrepſerint. Sufficere debet aequis rerum aeſtimatoribus, ſi tam inſignis literarum Theſaurus, vel quocumque modo exponatur in communem uſum, & gratiae habendae illis, qui tam aerumnabili labore & taedio aliena conquirunt & diſponunt, cum melius famae ſtudere liceret, ſi his relictis ad proprii ingenii vires periclitandas ſe accingere vellent. Immo quanta non quotidie gratae mentis ſignificatione proſequi illos oporteret, qui tam inſtructam literarum officinam aperuerunt, unde ſine ullo fere negotio ea depromi poſſunt, quae confirmandis & illuſtrandis ab ingenio & cura excogitatis facere poſſunt; ſi milites nihil fere nudo corpore & animi virtute efficere valeant, niſi a providis ducibus antea copioſiſſimus commeatus, arma & inſtrumenta bellica in horrea eſſent comportata, quid, quaeſo, eruditiſſimus quiſque utilitatis ex ſtudiis referret, ſi inani labore diſperſas antiqui aevi reliquias conquirendi fatigaretur, quas nunc, in unum congeſtas, facillime deprehendit. Hic enim unicus hujus libri finis & eruditorum, qui in hoc digerendo laborarunt, ſcopus fuit, ut nemo humanioribus literis deditus, eo carere poſſet, ſed quotidie, ſi quid in quodam argumento ex antiquitate illuſtrare vellet, eo poſſet decurrere, ubi certus erat firmiſſima opinionis ſuae praeſidia ſe reperturum. Unde quoque quam neceſſaria omnibus eruditis Theſauri hujus poſſeſſio ſit evincitur, cum hic liber totius bibliothecae inſtar eſſe poſſit. Praefationis limites excedere, & juſtam diſſertationem conſcribere neceſſe foret, ſi immenſas lapidum veterum utilitates memorare vellem, ſi in antiqua temporum ratione, orbis veteris ſitu, rerum naturalium ſcientia, Gentilium de Diis & Sacris opinionibus, dignitatibus & muneribus, publicae & privatae Romanorum vitae conditione, & praecipue in Romani juris ſtudio, nihil fere ſine his ſubſidiis profligari poſſe demonſtrarem. Et ſane ſi numiſmatum veterum ſtudium jure & merito tot hodie amatores & cultores repperit, quanto utilior & excellentior marmorum eruditorum meditatio videri deberet, quae non tantum omnia, quae ex nummis peti & illuſtrari ſolent, luculentius exhibent, ſed magno verborum complexu ea clarius exponunt, & non tam infirmis conjecturis niti eruditos permittunt; denique quae infinita, veteris aevi inſtituta, nummis indicta, nobis offerunt. Quanta erudito alicui ſcribendi & commentandi area pateret, ſi praeſtantiam & uſum marmorum eodem modo commendare vellet, quo Vir Illuſtris, & quo hodie nemo doctior, nemo humanior in republ. literaria reperitur, Ezechiel Spanhemius numiſmatum uſum, aeternum victuris diſſertationibus, aperuit. Sed requireret illud inſtitutum parem tanto Viro omnigenae eruditionis copiam, neque levi manu & inanibus quibuſdam ſonis declamationis ritu quaedam

dam e trivio essent adferenda. Invenirent certe Sacrarum Literarum studiosi, unde Sacrae historiae momenta & articulos recte computare possent; discerent Jurisconsulti, unde antiquas formulas, leges, Senatusconsulta, Magistratuum edicta, Imperatorum rescripta confirmarent & explicarent; haberent Medici & Naturae studiosi, unde variarum regionum producta & arcana, quae sinu suo continet rerum mater, illustrarent. Sed, praeter alios, Graecarum & Romanarum antiquitatum cultores cellam promptuariam instructissimam sibi paratam intelligerent, unde in omnes studii istius partes subsidia submitterentur, & tot antiqua gentium instituta, mores, sacri, civiles & militares ritus, nunc dubiis scriptorum verbis obscurati, plena luce suffunderentur. Qui familiarum veterum stemmata & insignia contexere, Fastos incertos emendare, summam laudem putant, hinc ea petere possent, quae intricatissimas de obscura temporum ratione controversias componerent. Haec omnia, si liberet, maximorum in omni studiorum genere virorum exemplis illustrare in proclivi esset, & ostendere quantum Scaligeri, Petavii, Baronii, Norisii, Pagii, Sirmondi, Casauboni, & nescio quot non, his monumentis detulerint, ut cum ab omnibus libris deficerentur, vel propter corruptos per imperitiam librariorum codices dubii haererent, sola lapidum & numismatum ope infinitas salebras superaverint.

Cum ergo a renatis literis, nihil umquam utilius a viris doctis susceptum fuerit, quam has tabulas, ex ingenti omnium bonarum artium naufragio colligendi studium, avidi, quaeso, quibus literae elegantiores cordi sunt, ad comparandum hunc Thesaurum concurrite, & Typographo, cui infinito labore & impensis hic liber constat, animum addite, ut alteri volumini, quod omnia illa, quae post Gruterianam industriam producta fuerunt, marmora complectatur, manum sine detrimenti metu adhibere audeat. Nam plurimas adhuc Inscriptiones, nec umquam editas, a Gudio olim in itinere suo collectas, celeberrimus Graevius in ordinem digerendas, jam ante mortem mandaverat, quibus, si temporum ratio permittat, infinitae post Gruterianum corpus repertae addi poterunt.

Antequam vero finem huic Praefationi imponam, benevole lector, verbo adhuc docendus eras, quid praecipue in hac nova editione, quae praeter chartae nitorem & characterum elegantiam, praeferenda primae a Grutero curatae, omnibus videbitur, praestitum sit, & quinam operam & consilium ad rite hoc opus producendum contulerint. Inter quos primas partes tenuit, nuper magno civium suorum & literatorum dolore ereptus Amstelaedamensis Consul Joannes Sixius, cujus bibliothecae nuper publice divenditae index docuit, eum plura possedisse, quae olim Jani Gruteri fuerant. Quae qua ratione in ejus manus venerint, forte colligi posset ex Epistola Jo. Frederici Gronovii ad

Kirchmannum data, quam nos inter Gudianas numer. CCLVII. olim edidimus, ubi ſcribit ſibi *patere bibliothecam Viri Ampliſſimi Suffridi Sixtini* (unde haec Gruteriana aere ſuo comparavit Sixius) *qui* κειμήλια *Gruterianorum pegmatum omnia cum pulviſculis poſt obitum Viri ſummi Francofurti coemit.* Hic Vir, ad ſtudia ornanda promptiſſimus, Typographo noſtro, ipſum Exemplar Gruteri, cui adſcripſerat plurimas emendationes, conceſſit, & praeterea Farraginem Inſcriptionum antiquarum, quam Stephanus Vinandus Pighius juſſu & auſpiciis Marcelli Cervini Cardinalis S. Crucis, qui poſtea Pontificatum maximum adeptus Marcelli II. nomen aſſumſit, collegerat, in ordinem redegerat, & ſcholiis undique illuſtraverat. Ex his videbis plurima vitia, quae priorem editionem foedaverant, fuiſſe a nobis correcta. Multum quoque conſiliis ſuis & Typographum & nos, unicus poſt fata ſummi Graevii in hoc opere recenſendo, dux & auſpex, & ex cujus penu in hac ipſa Praefatione concinnanda plurima ſunt depromta, juvit Vir Optimus & eruditione & candore ſummus Janus Brouckhuſius, cui utinam benignum numen vegetiorem & firmiorem ſenectam largiri, & non nobis tantum, ſed univerſo literario ordini tam carum caput longum ſervare velit! Praeter haec operis hujus ſuſcipiendi praeſidia, undique ex virorum doctorum voluminibus, quibus illi doctiſſimas quaſque obſervationes ad lapides intexuerant, conquiſivimus quaedam, quantum & negotiorum publicorum moles, & feſtinatio operarum permittebat. Praecipue autem principum inter Eruditos virorum libros Salmaſii, Caſauboni, Ez. Spanhemii, Cuperi, Noriſii, Reineſii, Philippi a Turre & aliorum perluſtravimus, & tribus tantum quatuorve verbis pro paginarum modo ſingulis lapidibus ſubjectis, lectores monuimus, ubi plenius explicatae antiquitates reperiri poſſent. Quae autem noſtram induſtriam effugerant, plurima Vir Eruditus Holthenus in unum conjecit & appendicis loco ſubjunxit. In his omnibus, ſi quid errare nobis contigerit, ab humanitate veſtra contendimus, ut leviora peccata, & errores quidam operarum non acerbe nimis exigantur, ſed expendantur, an quiſquam non plane ocioſus, ſed publicis laboribus quotidie omne fere tempus impendens, melius has partes exſequi potuiſſet, & non omnium librorum hodie prodeuntium ea ſit conditio, ut plura, quam auctores mallent, vitia invitis ſubrepant. Nos benigniorum judicii & favoris ſecuri facile omnes adlatrantium voces contemnemus, & rempublicam literariam ſemper ſtudio & labore, ſi minus ingenio licet & doctrina, demereri conabimur.

Praeterea magna huic ſplendidae editioni commendatio accedit, quod non nudos modo lapidum titulos hic conſpiciat eruditus lector, ſed etiam ex Boiſſardi opere icones & imagines aere expreſſas habeat, ex quibus plurima in antiquitate illuſtrare licebit. Eos vero lapides

pides elegimus, ex quibus vel figura alicujus Dei, vel ſacrificii ratio, vel veſtium ſingularis habitus vel inſtrumenti alicujus veteris ſimulacra oculis poterant exhiberi: nam omnia marmora, in quibus nihil peculiare occurrebat, aere exprimere, ut Boiſſardus fecerat, operae pretium non videbatur. De Boiſſardo hoc ſolum monuiſſe ſufficiat, illum plus pingendi elegantiae ſtuduiſſe, quam accuratae titulorum lectioni, nam vitioſiſſimas plurimas ejus Inſcriptiones eſſe quivis facile per ſe deprehendet, ſi cum noſtris eas conferre voluerit.

Ultimum hujus voluminis locum ſibi vindicant Tironis & Senecae, ut vulgo habentur, notae, quas, quia & Gruterus ſuo corpori ſubjecerat, noſter Typographus quoque omittere noluit, cum, ne quis non integrum hoc opus cauſſari poſſet, tum, quia earum etiam aliqua inter eruditos eſt auctoritas & uſus. Non ea, quae de notis veterum huc congeri poſſent, operoſe adducemus, cum hujus antiquitatis cupidus, argumentum illud a Lipſio, cujus epiſtola Tironis notis a Grutero eſt praefixa, & aliis antiquariis, plene addiſcere poſſit. v. Pancirol. I. var. lect. 30. Wouwerum de Polymat. c. VI. Bernececrum ad Suet. Titum. c. III. & alios. Neque etiam hic diſputare libet, quis eas primum invenerit, an Maecenas, an Tiro, an alius quiſquam; ſuffecerit notaſſe, has notas, quae ſub Tironis & Senecae nomine venditantur, neque eos auctores habere, neque quemquam certum adſignari poſſe. Sed veroſimile eſſe, initio paucas quaſdam fuiſſe in uſu, ſive a Tirone ſive ab alio repertas, deinde poſteriorum induſtria creviſſe. Et ita Voſſius lib. IV. de vitio ſermonis cap. 2. recte cenſet *a junioribus plurima huic operi eſſe addita.* Quod unicuique patebit, ſi modo verba a ſeculo Auguſti multum abhorrentia, & paene barbara expenderit. Reineſius ad Inſcriptionem CV. claſſis primae, ſeculi quinti opus eſſe cenſet, & judicium ſuum de eo his verbis profert. *Sane habet ille grammaticus quam plurima optimae notae, & quae nuſquam leguntur hodie, quam in marmoribus. Obſervavi etiam in iſta farragine multa vocabula, quae e ſcriptoribus claſſicis intemperie Correctorum ejecta fuerunt, iiſque reſtitui, & cenſum Latinitatis augeri poſſe exiſtimem.* Paulo recentius adhuc Salmaſius ſtatuit hoc opuſculum, & ad Gregorii Magni, qui in fine Seculi ſexti vixit, tempora refert, quia in veteri codice his notis Praefationem praefixam viderat, in qua compilator librum ſuum dedicat Gregorio Papae, & ejus juſſu ſe notas has collegiſſe dicit; a Chriſtiano autem factam farraginem hanc ex vocibus Chriſtianis conjicit, niſi Tironis & Senecae adjectas plures a Chriſtiano quodam quis velit. Vide Epiſtolam ejus XLVI. ad Peireſcium. Quamvis aliquis non abſurde contendere poſſet, paulo poſt Antoninorum tempora confectam, quia pag. LXIV. & LXV. ubi omnes a Caeſare enumerantur Imperatores, in Antonino deſinit. Quidquid ſit, cujuſcumque auctoris ſive aetatis ſit haec collectio, cum aliquem inde fructum capere

 poſ-

poſſet antiquae linguae ſtudioſus, ejus rationem haberi in hac editione oportebat; ſed quia jam libri moles ſatis excreverat, contrahendas in arctius ſpatium notas e re ſua & emptorum cenſuit Typographus; ne tamen fruſtra, ita mutato paginarum numero, quaereremus vocabula a doctis laudata, prioris editionis numeros margini adjecit: potuiſſent & hae notae, quae vitioſiſſimis ſaepe vocabulis redduntur, illuſtrari & emendari; ſed cum jam aeri inciſae eſſent, antequam nobis eas recenſendi partes eſſent mandatae, ita exire, ut a Gruteri manu erant, permiſimus; Gruteri modo notulae paucae, quae in prima editione ad calcem erant rejectae, ipſis paginis ſubjectae ſunt. Vale & his fruere. Trajecti Batavorum. Kalendis Martiis cIↃ. IↃcc. vII.





D. M.

TE SACROS INTER CINERES, AEVIQVE PRIORIS
RVDERA, PIERIVS CONTVMVLAVIT HONOS,
VNICA FACVNDAE GRAEVI TVTELA MINERVAE,
VNICA DOS, PRISCIS PAR MANVS INGENIIS.
TE LATIVM, TE PALLADII DOLOR VRGET ERECHTHEI;
VDAQVE COMMIXTIS BVSTA RIGANT LACRIMIS.
AT LVCTV STIMVLANTE AMENS, CONFVSAQVE, NOMEN
SCRIBIT IN INVITO MARMORE FAMA TVVM.
FAMA TVAM TOTIES PRODVCERE LAETA PAPYRVM,
HEV QVAM DISSIMILIS FACTA REPENTE SIBI!
NEC TAMEN EXSTINCTO PERIIT CVM LVMINE VIRTVS:
VIVIS, ET IN CHARTIS VSQVE SVPERSTES ERIS.
QVAEQVE LABOR PROPRIVS FVERAT TIBI, ROMA SEPVLCRVM
NVNC DAT, ET IN MOESTOS COLLIGIT OSSA SINVS.

Janus Broukhusius.

J. Goeree del. *J. van Vianen fec.* *F. Halma excudit.*

D. M.

IO. GEORGII. GRAEVII

VIRI. INCOMPARABILIS
REBVS. HVMANIS. EXEMTI
PLANGENTIBVS. MVSIS. GRATIISQ.
QVIBVS. QVOAD. VIXIT. SANCTISS. EARVM. ANTISTES
PERPETVO. LITAVIT
QVVM. RARO. EXEMPLO. PER. ANNOS. XLVI
GRAIAM. LATINAMQ. VETVSTATEM. AC. ELOQVENTIAM
CVM. SAPIENTIAE. PRAECEPTIS. CONIVNCTAM
BONO. PVBL. ET. CVM. SVA. IPSIVS. IMMORT. GLORIA. DOCVISSET
IN. GERMANIA. PRIMVM. DVISBVRGI. QVVM. ESSET. ADOLESCENS
IN. BELGICA. DEINDE. DAVENTRIAE
AC. POSTREMVM. IN. ACADEMIA. TRAIECTINA
CVI. PER. INTEGROS. ANNOS. XLI
INSITA. PROPENSIONE. ANIMI. SE. SVAM. QVE. OPERAM
ITA. ADDIXERAT. ATQ. DEVOVERAT. VT. OPIMAS. CONDITIONES
ALIVNDE. OBLATAS. AC. PRAECIPVE. AB. ITALIS. A. GERMANIS
ET. A. RELIQVIS. FOED. BELGIS. OMNES. REPVDIARET
CVIVS. INVSIT. VIRTVTIS. ET. AB. OMNI. PRIVATI. COMMODI. RESPECTV. ALIENAE
ILLVD. GLORIOSISSIMVM. PRAEMIVM. TVLIT
VT. DESIDERIVM. TANTI. VIRI. FERRE. NECDVM. POSSIT
NON. RESP. LITT. MODO. QVAM. NOMINIS. SVI. FAMA. IMPLEVIT
SED. MELIOR. ET. POLITIOR. ORBIS
CVIVS. DVM. VIVERET. AMOR. ERAT. ET. DELICIVM
ET. MERITO
NAM. GRAVIS. NVLLI. SED. OMNIB. FACILIS. BENIGNVS. COMIS
IN. GRATIAM. CVM. NEMINE. REDIIT
OMNIVM. QVI. IN. ORB. LITT. SVA. AETATE. FLOREBANT
VIRORVM. ILLVSTR. ET. ERVDITOR. STVDIA. BENEVOLENT. CVLTVM. ET. ADMIRAT.
IN. SE. CONVERTIT
ATQVE. AMICITIAM. PER. LITTERAS. FREQVENTES
OMNIB. TVLLIANAE. ELOQVENTIAE. VENERIBVS. PERPOLITAS
OMNIBVS. SOCRATICAE. SAPIENTIAE. LVMINIB. AC. SALE. RESPERSAS
BONA. FIDE. COLVIT
ET. QVAE. NON. VLTIMA. LAVS. EST. PRINCIPIBVS. VIRIS
PRINCIPIBVS. ITEM. IVVENTVTIS. DISCIPLINAE. SVAE. ALVMNIS
QVIN. REGIBVS. ETIAM. IN. QVOR. CONTVBERNIVM. MVSAS
IN. AVG. LOCO. POSITAS. SVIS. AVSPICIIS. PRODVXERAT
INSIGNITER. PLACVIT. VT. VEL. SOLVS. GRAEVIVS. REPERIRETVR
DIGNVS. QVI. M. BRITANN. MAX. REGIS. GVLIELMI
RES. DOMI. FORISQ. SAPIENTER. AC. FORTITER. GESTAS
AD. MEM. POSTERIT. LATINIS. LITTERIS. MANDARET
ET. EXEGISSET. MONVM. AERE. PERENNIVS. PRINCEPS. SVI. TEMP. HISTORICORVM
NISI. INCHOATVM. OPVS. RELINQVERE. DIVINITVS. NECESSE. HABVISSET
MORTE. CVIVS. PRAENVNCIA. AB. ALIQVO. TEMP. FREQVENS. VERTIGO. ERAT
EX. IMPROVISO. OPPRESSVS
QVVM. DVOBVS. CIRCITER. MENSIB. ANTE. VXOREM. CARISS.
QVACVM. ANNOS. XLIV. CONIVNCTISS. VIXERAT. EXTVLISSET
VIR. IDEM. AC. CIVIS. BONVS. MARITVS. AVTEM. PATER. FRATER. SOCER
AMICVS. OPT. FIDELISS.
NATVS. EST. NAVMBVRGI. MENSE. MARTIO. cIↃ. IↃC. XXXII.
DIEM. OBIIT. SVPR. TRAIECTI. BATAV. A. D. XI. IAN. cIↃ. IↃcc. III. AET. LXXI
VIRO. DVM. VIXIT. SVMMO. MVLTORVMQ. ANNOR. VSV. SIBI. CONIVNCTISS.
HOC. PIETATIS. MONVM. L. M. Q. POSVIT

IO. FREDERICVS. CRAMERVS

AVGVSTISS. BORVSS. REGIS. CONSILIARIVS. REGIMINIS. IN. DVC. MAGDEB.

ROMANARVM
INSCRIPTIONVM
CORPVS ABSOLVTISSIMVM,

INGENIO ET CVRA

IANI GRVTERI,

AVSPICIIS

IOS. SCALIGERI AC M. VELSERI,

EDITIO NOVA,

Ex recensione & cum Annotationibus

IOANNIS GEORGII GRAEVII.

IMP. CAES.

RVDOLPHO II.


PARENTI PVBLICO

PIO. FELICI. PERPETVO

AVGVSTO.

D. N. M. Q. EIVS

IANVS GRVTERVS.



BVNDE *constat rerum quæque rarissima ita & ubique, & semper, Principum virorum habita tanquam peculiaria, ut etiam apud privatos nata aut inventa, statim tamen tacitâ destinatione eisdem transscriberentur; quare non nisi rectè atque ordine* INSCRIPTIONES *istæ ad te veniunt*, SACRATISSIME IMPERATOR, *parte sui maximâ nunc primum è terræ situ, aut Bibliothecarum tenebris productæ in publicum: & veniunt quidem confidentius, quod sic quoque templi tui tholis propriè conveniant; certè alterius Numinis sacrario neutiquam consecrentur sine notâ, imò scelere. Cui enim inscribatur* POSTVMA ILLA SENATVS POPVLIQVE ROMANI FAMA ATQVE AETERNITAS, *quàm uni tibi*, CAESAR AVGVSTE? *legitimo ejusdem gentis capiti; tibi, inquam: qui præterea, ex quo consentientibus humani generis suffragiis Orbi terrarum præfectus es; in hunc usque diem plurifariam re ipsa ostendis, æstimare te libri hujus argumentum pretio vero, hoc est, maximo. Nam etsi jam ferè sextum lustrum, Solis more irrequietus, omnium somnos tuâ vigiliâ, omnium otia tuis occupationibus, omnium delitias tuâ procures industriâ; una tamen tibi sufficit* CONSCIENTIA *ac* FAMA, *ceu laborum istorum præmium uberrimum.*

 Vtri-

Utrique certe tàm pulchre hactenus litas, ut GERMANIA *tota, bono te suo publico divinitus genitum lubens merito profiteatur; unique debeat, quod cùm vicinæ regiones fere inextincto bellorum consumantur incendio; ipsamet in medio posita & coronata flammis tam feralibus, non modò restet incolumis, sed Phœnicis instar, redditâ quasi juventute, reflorescat. Quo ipso, quamvis ita demerearis omnium opinionem, ut toto passim orbe agas in ore, in oculis, in animis omnium: instas tamen eidem famæ, tibique clavis verè trabalibus devincis; ideoque, etsi divina virtutis tuæ ac felicitatis opera, egregiis artificum monumentis, publicè privatimque prodeant ducta cælo, pigmento, auro; delectaris quidem hâc tuorum pietate: interim haud dissimulas, nihil istorum perennare; non laureas, non arcus, non triumphos, non statuas: sed quotidie, vel terræmotu, vel incendio, vel hostili impetu, vel ævo denique prolixiore obsolescere delectabilem istum oculorum florem: ut contrà ipsâ gliscere vetustate auctoritatem ingeniorum, ac quicquid sibi adplicuerint reddi magis ac magis sacrum & venerabile; adeò quidem, ut omne quod hodicque in rerum natura notitiæ est & nominis, id disciplinis istis liberalioribus jure acceptum feras. Hinc nihil tibi antiquius quàm excitare ac promovere literas, honorem habere ac dignitatem literatis; eo sanè successu, ut artes humaniores, quæ sub proavo tuo* MAXIMILIANO I. *spiritum; sub avo* FERDINANDO *valetudinem; sub propatruo* CAROLO V. *colorem ac sanguinem; sub patre* MAXIMILIANO II. *patriam ceperint; tuis demum fortunatissimis auspiciis, ita niteant, ita floreant, ita exultent; ut nihil felicitati earum accedere possit, nisi ut perpetua sit. Et verò communis hæc illa seculi lætitia tantum potuit apud me, ut quamvis adhuc ambustus miseræ Patriæ flammis, ausus tamen fuerim ingerere me circulo eruditorum, nomenque inter eos dare qui in stadio illo currerent ad palmam; cui conatui ita favit Eventus; ut me ab ipsis statim carceribus, veluti pusillum Regulum, humeris suis sustulerint magni illi rei literariæ Duumviri,* IOSEPHUS SCALIGER, *ac* MARCUS VELSERUS, *hic Germaniæ suæ, ille Galliæ verè Doctorum Aquila; totoque perlatum curriculo ad ipsam deposuerint metam: à qua ecce iterum sublevatus tertii Aquilæ pennis,* IOHANNIS, *inquam,* MATTHAEI WACHERI, *tibi, Cæsar, propriè nati; facio quod vides: atque adoratâ hac publicæ felicitatis purpurâ, statuo ante pedes tuos istas totius* ORBIS ROMANI INSCRIPTIONES *priscas, obnoxij ac devoti animi testes; quas ut vultu excipias tuo, id est, clementi, debita mentis submissione obtestor. Ita vivas, ita valeas, sacratissime Imperator, orbi universo, magnum longumque ejus bonum.*

A D



Vm ab omni ævo ea fuerit INSCRIPTIONVM & dignitas & æstimatio, ut qui ipsas non veneraretur, indoctus, non curaret, indoctior, non novisset, indoctissimus semper habitus fuerit; absit eas elogio aliquo prosequar, ne hoc ipso non tam his fiat pretium, quàm sæculo convitium; hoc potius agam, nominabo quibus auctoribus atque adjutoribus hæc

—— incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus,

cæterisque Romani nominis hominibus, in hujus corporis redegerim compagem. Nimirum cùm ante annos XIII MARTINI SMETII Antiquitates cum uberrimo IVSTI LIPSII, publicè omnium, mei etiam quondam privatim doctoris, Auctario, inusitata omnium exciperetur faventia, ideoque instaret precibus apud Illustrem IOSEPHVM SCALIGERVM, PETRVS DELBENIVS V. C. egregieque de omnibus studiis meritus, ut Smetianæ Veneri ultimam adderet manum; tam honestæ petitioni minimè defuit, totiusque Europæ epigrammata reliqua, è libris, è schedis, è lapidibus solerter collecta transmisit HIERONYMO COMMELINO disciplinis melioribus proprie nato; qui dum in hoc est, ut inchoato illi operi ad præscripta lineamenta succederet, ecce falcem ei injicit læva Mors, docetque

Heu, nihil invitis fas quenquam fidere Divis.

cui casui ut me subvenire jubet noster ille θαυμάσιος: quamvis viderem rei difficultatem, quamvis nossem vires proprias, quamvis absterreret amicus non unus voce illa notâ,

Fallit te incautum pietas tua:

gnarus tamen Antistitem quemque impleri Numine cui servit, amplexus sum obsequii gloriam, meque

—— facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide blandiloquens oratio.
Etenim ipsi Di negare cui nil potuerunt,
Hominem me denegare qui posset pati?

In eo circo dum me totum utilitati tuæ impendo, Lector; nescio quis Genius clam insusurrare, ut telam hanc felicissimè absolverem, nihil tamen mihi accessurum præter nomen *fidelis Actuarii*; quæ laus cùm animo meo videretur vilior, cœpi evolvere codices his centum annis editos, quibus eruditi aliquot, patriæ amore ducti, monumenta regionis quisque suæ produxerant; ex iis ut luculentum conficio spicilegium, ausus sum consilium meum referre ad amicos; *summâ ope niti, ambire, fatigare singulos*, quibus sciebam tales opes domi, ne mihi, ne sibi deessent. Quæris successum? superavit omne votum: nec tu cum cogitatione assequêris Lector, nisi ante oculos posueris Templum Dianæ Ephesiæ. Ut enim ad ejus perfectionem concursum est à Regibus totius penè Orbis: sic ad hanc nostram Ædem, quæ

—— Priscis hominum variata figuris
Heroum mirâ virtutes indicat arte,

tanta alacritate liberalitates suas contulerunt rei literariæ primates *omnes omnes*, ut non cum aliis, sed ipsi secum certare viderentur, palamque facere, non magis olim in imperio Romano primitùs constituendo convenisse in unum Fortunam ac Virtutem, quàm nunc in conservandis ejusdem reliquiis. Inprimis *virgula* mihi fuit plus quàm *divina* MARCVS VELSERVS Germaniæ suæ verè Phœnix, hoc est, omnibus virtutis doctrinæque numeris emendatissimum exemplar; tali enim in me fuit candore, tali comitate, tali propensione, tali etiam vultu, tali lingua, tali manu; ut præ pudore neque oculos attollam neque vocem; quippe ante ullas preces, depositâ personâ, quam gerit in Urbe suâ Principis, & candidati & proxenetæ induit; illeque aliàs ad vitium usque verecundus,

Ultra decori transilire limites,

donec universas Librariatum Italicarum Epigraphas, *unà cum pulvisculo* converrisset in hunc meum sinum. ac tanquam parum esset ei rei impendere veredarios suos, etiam peculiaribus semper epistolis hoc suum donum prosequendum statuit: tam anxiè quidem, aut potius superstitiosè, ut si vel unica forte obvenisset Inscriptio, ne unicam illam quidem sine literis suis ad me dimitteret. Huic ergo uni sit gratia, Lector, quod tibi frequenter occurrent, illa quà genere, quà dignitate, quà famâ minimè inania nomina; quod inquam sæpius obviosque habebis habitu literatorum viros Principes, mire comes,

—— submittentesque modestè
Fortunæ vexilla suæ,

FARNESIOS, BORROMÆOS, LOLLINOS, ZOLLERANOS, EGOLFOS, Cardinales, Episcopos, &c. nec minus illa patrii soli lumina ac columina, Mantuæ quidem ANT. BEFFAM NEGRINVM, Senarum CELSVM CITTADINVM, Venetiarum ANDRÆAM MAVROCENVM & BENEDICIVM GEORGIVM, Mediolani OCTAVIANVM RVBEVM, ac PETRVM CANTONIVM, Mutinæ IOH. BRIANVM, Regiolepidi ARNOLDVM VIONVM, Veronæ POLYCARPVM PALERMVM; aliosque in disciplinis harum literarum præcellentes: quorum è numero præterire non possim IACOBVM SIRMONDVM, hominem præter exactissimam Antiquatiæ rei cognitionem, ea humanitate, ut non nisi in Gratiarum cortinâ inco-

incoctus videri queat; percurso enim à capite ad calcem Inscriptionum nostrarum volumine, haud tralatitiam quantitatem optimorum Epigrammatum, quibus destituebamur, amicè submisit; quæ ipsa modo inter Appendiculares micat

—— velut inter ignes
Luna minores.

Soli comparassem, nisi controversiam ei faceret inusitata liberalitas STEPHANI VINANDI PIGHII, senis morum artiumque veterum, quique malit optimus ac doctissimus *esse*, *quàm videri*, interpellatus enim ante aliquot annos de suâ symbolâ conferendâ; arbori autumnali similis, invitabat ad se ramis demissis, offerebatque ea omnia, quæ quondam jussu atque auspiciis MARCELLI CERVINI primum Cardinalis, deinde P. M. curiosè atque contentè collegerat; sed quid? Per Cyclopicas militum grassationes contabescebam fato Tantali; nuneque etiam fortè contabescerem, nisi *vicisset iter durum pietas* ARNOLD. MYLIORUM patris ac filii, quorum uterque dexterrimè scriptorum veterum

—— & vireis animumque moresque
Aureos educit ad astra nigroque
Invidet Orco.

per eos enim tandem tandem thesaurum illum recepi comitatum, moræ compensandæ ergò, Collectaneis PYRRHI LIGORII Latinis, AUGERII verò GISLENII BUSBEQUII Exlegati Byzantini, Græcis, quæ radiis suis totum nostrum ædificium mirè illustrant. Ei nihilo tamen minus luminum intulit IOH. IACOBUS BOISSARDUS, ille

—— animo juvenali Senex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens;
AEvum per omne nil amarum miscuit.

tanquam enim parum fuisset benignè mecum communicasse Illyrici ac Luxemburgici tractus titulos, etiam *Antiquitatum* suarum *libros* à me deflorari passus est, jam æneis BRYANORUM Fratrum tabulis addictos, id ipsis item, quâ sunt morum dulcedine, non ægrè permittentibus. At nec Boissardo cessit FULVIUS URSINUS, cujus potissimum auspiciis nunc iterum

—— illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquavit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

ac minime contentus schedas suas plerasque aut sponte obtulisse Romæ describendas, aut ipsasmet per Velserum mihi transmisisse copiam quoque fecit *voluminis Smetiani manuscripti*, quod servabatur in interiore Bibliotheca Ill. Cardinalis FARNESII. Id ipsum, electorum juvenum par, GASPER SCOPPIUS ac LEONHARDUS GUTENSTENIUS,

—— quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan,

pro tenerrimâ eâ quâ erant erga me, erga Velserum, erga optimas literas affectione, totum totum cum edito compararunt; qui quamvis bonitate suâ alterum calamo exaratum exemplar longe anteiret; at sic tamen maximo nobis fuit adjumento locis non unis; ne dicam haud pœnitendum Epigrammatum numerum, quæ publicato aberant, suppeditasse; verùm nec hac stetit horum gratia; sed quicquid marmorum quotidiè per Romam hinc inde eruebatur, eorum delineationem septimanatim ferè nobiscum communicarunt: ipso præterea Gutenstenio adhibente manum suam accuratissimam; nec ibi tantum, sed in enotandis iis quæ aliquando IOH. MATALIUS METELLUS amicus noster non è multis

—— dum fata Deusque sinebant,

ad ipsos lapides Romæ industriè deformaverat; adleveratque codici cui Epigrammata sua crediderat MAZOCHIUS; quem codicem benigne, ut & alia quæ domi suæ servabat, ultrò oggesserat præcipuis sæculi sui ornamentis adscribendus HORATIUS à VALLE I. C. Pari fuit in hæc nostra studia animo, loci ac professionis suæ apex ANTONIUS VERDERIUS, oblatis plurimis Italici soli cimeliis, hactenus nemini ferè visis; nec parcior idem, in depromendis Galliæ suæ reliquiis, quorum numerum exinde insigniter auxerunt, magna illius cæli Sidera, IACOBUS AUGUSTUS THUANUS, ut Apollinarium alitum, ita & Consilii Parisiensis caput, amplissimus IACOBUS GILLOTIUS, ejusdem Curiæ Senator primarius, IOHANNES ROUSSATUS Calvimontis Præses & Prætor apud Lingones, DIONYSIUS LEBBÆUS-BATILLIUS Netensium præses dignissimus, NICOL. RIGALTIUS, Parnasso

Monte decurrens velut amnis imbres
Quem super notas aluere ripas.

Quod dum isti agunt, minimè cessavit *currenti subdere calcar* CAROLUS CLUSIUS, quo sene

Sive aliquod morum, seu vitæ labe carentis
Est pretium, nemo plurıs emendus erat.

certè præter ea quæ ipsemet observarat in peragratione Daciæ locorumque vicinorum, etiam illa quæ deinde diligenter ibidem ejus hortatu excusserat THEODORUS HOGELANDIUS, nobis impartienda putavit; cujus vestigiis item insisterunt ARNOLDUS BUCHELIUS I. C. atque EVERARDUS VORSTIUS. Medicus submissis qui-

quidem monumentis pauculis, sed minimè protritis. Eodem in nos servore ANDRÆAS SCHOTTVS, non altæ modo eruditionis, sed &

—— rigidi servator honesti,
In commune bonus.

is Hispaniæ totius marmora binis exemplaribus cum studio excepta, in ædificii nostri usum libenter impendit, inter quæ erant nonnulla insignita nomine ANT. AVGVSTINI Archiepiscopi Tarraconensis,

Opponit unum quem viris prioribus
Ætas recentis temporis.

sed nec ornandis nobis defuit IOH. VINCENTIVS PINELLVS, vir natus ad æternitatem nominis Romani, & ad omnium animos alliciendos ab ipsis Amorum Charitumque manibus propriè factus; neque enim bina tantum procuravit autographa, quæ Venetæ ditionis maximè memorabilia complecterentur, sed quamplurimos excitavit, qui vicem ejus supplerent: è quibus præterire nequeo illos senescentium doctrinarum reductores & formatores indefessos, ANGELERIVM, ac FELICIANVM, non magis quàm ERYCIVM PVTEANVM, aut NICOL. FABRITIVM, juvenes ipsi Pinello aliquando à studiis, nunc verò præ ceteris

—— sacros qui sollicitare liquores
Aonidum, totamque solent haurire Aganippen.

Iam portum forsan mente agitas Lector; at nos vix oram solvimus; adeo magna adhuc superat manus eorum, qui Antiquitatis illam

Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi.

quâ enim fronte omittatur unio amicitiæ meæ prætextatæ IACOBVS BONGARSIVS? illa, inquam,

—— sincera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti
Et ductos videas mores meliore metallo.

quâ TOBIA SCVLTETVS? arcano vinculo indissolubiliter mihi ligatus, quod contexuit, puto, Virtus cum Pallade, Themis cum Apolline, Suada cum Gratiis. Primus quidem pro parvo ducens ea de manu tradere in manum, quæ & totâ Vngariâ & aliis peregrinationibus Græca pariter ac Latina religiosè collegerat; epistolas præterea nostras, aucupiumne an venaturam exercentes, ad varias regiones Mercuriali eventu permisit, iisdemque ex locis pari felicitate responsum suum elicuit: eâ quidem animi alacritate, eo verborum honore, eâ cupiditate amplius juvandi, ut exclamare cogar,

O referant Divi, quoniam non possumus ipsi!

At Scultetus, non solùm in meæ spem gratiæ Veronensia monumenta minima maxima coram inspexit examinavitque cum cura, sed adminiculantibus ORLANDO PESCETTO Hetruscis Italicisque literis celeberrimo, ALEXANDRO item CANOBIO Historico patriæ suæ præstantissimo, adversaria ONVPHRII PANVINII quasi ex Orci cancellis reduxit; quæ quantum huic moli adstruxerint ornamentum, quivis videt: ut & illud, nihilo minorem usum ei præstitisse alia Sculteti Epigrammata; reliquo Italiæ, Galliæ, Hispaniæ itinere (in contubernio Generosorum fratrum BVRGHAVSIORVM, amicorum edecumatorum) probè animadversa, ac justo libello honori meo dedicata. Quid memorem diligentiam ac fidem IOSEPHI CASTALIONIS I. C. præclarissimi atque ideo Ill. SORÆ Duci à Consiliis intimis? quid ultroneam item benignitatem PHILIPPI PIGAFETTÆ medici felicissimi, qui

—— multorum providus urbeis
Et mores hominum inspexit?

Tu certè Iosephe marmorum literas proximis his annis Romæ passim detectas, promptissimè mecum communicare dignatus es; ut & tu Philippe describere linguarum duarum characteres quantivis pretii: Græcos quidem è ruinis insulæ Cretæ liberatos anno CIↃ IↃ LXXXIII cura atque opera Medici ac Philosophi excellentis HONORII BELLI: Latinos verò tum Romanos tum Aquileienses, studio MARTII MILESII, legum consulti notæ selectioris. Quid recenseam haud credibilem solertiam IANI à VOVWEREN,

Cui gravibus primæva latet sub moribus ætas?

qui cum serius frequentaret Italiam, ideoque omnia jam sibi prærepta videret, haud destitit tamen nunc hac illac devias explorare latebras, exque iis producere occultas aliquot Musarum reliquias; nunc his illis suâ Suadâ excutere segnitiem, quo promissa statim repræsentarent, fieretque illud

Bis dat qui citò dat.

adeò ut meliorum memoriarum summam non aspernendam ei lubens meritò acceptum feram. Quo etiam ore prosequar illam prothymiam sive ARNOLDI MERCATORIS, GERARDI F. sive IOHANNIS VIVIANI, virorum à Minerva, à Camœnis, ad omnem factorum humanitatem? illi debeo & cis & trans Rhenana, penicillo cum omnibus parergis laboriosè delineata; illi, traditum mihi per manus filii, fragmentum literarum Gothicarum; at hic meâ causâ Aquisgrano excursurum se receperat ad generosissimum Dn. HERMANNVM

NVM Comitem à BLANKENHEIM ac MANDERSCHIED, excepturus pugillaribus suis quæcunque emblemata pluribus retro annis in arces suas ex viciniis intulerat, frustraque mihi aliquoties promiserat pater meus (ita enim vocem necesse est à quo adoptatus sum pro filio) CAROLVS VTENHOVIVS; nisi hoc molientem oppressisset vis ipsa Fati.

—— nimio rapidæ sic obvia puppi
Invidet, & velis adnubilat aura secundis.

sed bene, quod non parvum numerum eorum, quæ in Germania, in Hispania, in aliis locis digna habuerat animadversione sua, jam antea subministraverat COMMELINO nostro: cujus item in scriniis valde multa adminicula nobis reperta sunt, sine quibus postremam manum operi isti difficillimè imposuissemus. Quod & de te dictum volo MARQVARDE FREHERE, cui

—— cor limante Minerva
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

suggessisti enim illa omnia quæ pridem ab interitu vindicarat, tractu Moguntino, IACOBVS CAMPIVS Archidiaconus, rerum literarumque veterum impensè doctus; adjectis, mantissæ loco, quæ vel ipse adversariis tuis commendaveras, vel prosocer tuus IOH. VIERVS, solers

—— vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.

Minimè etiam defuisti tuo amori in me IOHANNES VLRICE, deprompto è Bibliotheca Illustrissimi tui Principis IOHANNIS BIPONTINI &c. libello TILEMANNI STELLÆ Geometræ, quem aliquando confecerat, cùm Ducis ejusdem jussu terminos ditionum Palatinarum recenseret atque excuteret. Tuam item agnovi non promiscuam benevolentiam IOH. BAIERE I. C. rare, quod nobis per communem illum doctorum omnium Mercurium, Velserum, plurima inter peregrinandum tibi vestigata, participanda putaveris. Sed nec vos gratiæ vestræ exsortes à Septentrione; quippe per montes ac maria accesserunt ad nos tua, PAVLE KNIBBI Scotiæ florentissimo Regi à consiliis, delineata pulcerrimis literis Epigrammata, Romana, Gallica: submisisti & tu quoque Regie Britanniarum fætialis GVLIELME CAMDENE

—— cui pectora lacte,
Et non calcatâ candidiora nive,

quodcunque literarum veterum insulis illis αὐτόπτης ferè enotaras: quas ut haberem acceptiores, non est eis dedignatus commodare & manum suam & artem ROBERTVS COTTONVS, homo

—— qui claris nomen virtutibus æquat;
Nec sinit ingenium nobilitate premi.

cui ut adhuc amplius deberem, etiam lapides proximis his mensibus circa Severi Vallum deprehensos, graphicè mihi exprimendos duxit. Sed nec: verùm *Lingua quo vadis?* Iam video fastidis Lector:

Et longas trahis oscitationes.

quare abrumpam; etsi enim punctis tantum perstringerem qui huic nostro labori operam suffecerunt partim consiliariam, partim ferentariam; tamen libri res esset. Scias igitur brevissimè, non tantum me, imo & te, obligari viris illis quos modo laudavi; sed aliis ferè innumeris, & sanguine & honoribus, & eruditione spectatissimis; è quibus modò occurrunt, PAVLVS MELISSVS, cujus instinctu SIMO STVDIO, aut potius SEBASTIANVS HORNMOLDVS Wirtenbergica nobis procuravit; IOH. TORNÆSIVS, à quo nactus sum authenticos titulos lapidum Lugdunensium, quibus usus GVLIELMVS PARADINVS, non parum sinceriores atque auctiores, quàm comparent in editis; IACOBVS MONAVIVS, cui debemus Vngarica illa MICHAELIS SIGLERI, Regii Secretarii, credita IOHANNI SAMBVCO; quid recenseam IOH. GEORGIVM WERDENSTENIVM, HIPPOLYTVM à COLLIBVS, IOH. PISTORIVM NIDANVM, ADOLPHVM OCCONEM, ABRAHAMVM ORTELIVM, ISAACVM CASAVBONVM, FREDERICVM SYLBVRGIVM, ANTONIVM FAIVM, IOH. GVLIELMVM STVCKIVM, IACOBVM ZWINGERVM, IOH. MICHAELEM BEVTERVM patrem ac filium, LVBBERTVM ESTIVM, IACOBVM COMALIVM, HENRICVM WOTTONVM, ANTONIVM MAVCLERQVIVM, IO. MALIARDVM, FRONTONEM DVCÆVM? quid COSMVM BRANCATELLVM, LVDOVICVM SEPTALIVM, IOAN. COTTOVICIVM, FRANCISCVM POLAM, ANTON. CAROTTVM, FREDERICVM CERVTVM, ROBERTVM TITIVM? quid denique GEORGIVM DOVSAM IANI FIL. IVDAM BONVTIVM, THOMAM SEGETHVM, ISAACVM PONTANVM, PETRVM SCRIVERIVM, MELIOREM GVLDINASTVM, IEREMIAM GVNDELACHIVM, CVNRADVM SCOPPIVM, FREDERICVM LINDEBRVCHIVM, GOTHARDVM VOGELINVM, MARTINVM LYDIVM, pluresque? quorum nomina nunc quidem non veniunt sub acumen styli, animo tamen isti minimè emigrarunt, firma eorum sede. Singulis his atque universis *fave fave* Lector, utpote sine quibus Pandoræ hujus nostræ structura nunquam pervenisset ad magnitudinis suæ ac pulchritudinis supremum culmen. Et jam habes quod cupiebam; quod enim ipse de ordine quid innuis, an non injurius es? si quis tibi objiceret thesaurum aliquem, ubi numismata argentea mixta aureis, Consularia Imperatoriis, aspera detritis, vetera recentibus; fastidirésne indigestam molem? imò ambabus invaderes manibus. Idem fac & heic: thesauro te nostro contentum tene; nam profectò ordini parum attendi, imò ne attendi quidem; nisi quatenus consuleret meæ memoriæ: cui etiam potissimum Classes illas Parentum, Fratrum, Conjugum, Cognatorum, Singularium, Libertinorum inservire volui; gnarus alioqui, esse numerum infinitum conjectum in classes alias quàm merebatur; si, cujus ordinis, cujus

cujus ætatis fuiſſet, ultrò indicaſſet. Quin magnas ſæpe animas latere inter nudos illos & capite cenſos, hoc quoque ſcio ; verùm cùm ipſæ inſignia ſua abjecerint, cur eadem invitis circundarem, qui nec cenſum curo, nec cenſuram? Quod etiam attinet ad ſeriem Alphabeti ſæpius recurrentem, confudi nomina cum prænominibus ac cognominibus, & contra: ſed & id memoriæ cauſa; in cujus item gratiam copulavi magiſtratus majores minoribus, &c. ne quis forte putet attendiſſe Satyrico illi;

—— ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Illa illa cura fuit princeps, diligenter conferre Inſcriptionem quamque editam cum variis exemplariis, eisque ipſam adfricare quaſi Lapidi Veritatis Lydio; quod dum facio, accidit, ut unam Epigrapham legerim, recenſuerim, mutarim, deſcripſerim non ſemel ſed decies, prout incideram in teſtem qui ſe ferret, aut oculatum, aut oculato proximum. Et heic quidem tam fui, ut debui, ſuperſtitioſus, ut ſemper bona fide repræſentarim ſive auctoris, ſive lapicidæ, ſive exſcriptoris hallucinationes: ſecutus videlicet Pictores corporum vitia in imagines ſuas curioſè transferentes; neque enim heic nobis licuit quod Apelli in Antigonum luſcum, quibus totas facies oſtendere ſedulò propoſitum. Quapropter ſuſtine ſtylum decretorium

Quisquis eris, cujatis eris,

ſi nonnumquam divertimus à ſcripturâ hactenus receptâ, non ea nos latuit, ſed non etiam placuit; quod ipſum aliquando prodimus, ſubſcriptis duobus tribus nominibus uni Epigrammati; indicium ſcilicet non uſquequaque correctum extitiſſe apud unum tantum. At quibus nomen meum adjeci, ut etiam quibus magni Scaligeri, ea nunc primum planè nova habes: quæ ſi aliquando longius degeneraverint a puritate ſua legitima, haud id imputabis viris illis maximis, quorum dono nactus; ſed familiis eorum aut amicitiis, haud ſemper Lynceis, vel ob characteres ferè evanidos, vel ob implicatos eorum ductus nexusque, vel denique ob antiquitatum cognitionem minus accuratam. Sed nec vitio vertas, Lector, ſi incideris in fragmenta aliquot mutila & curta: puta potius tibi obveniſſe elegantes quidem, ſed mire vexatas magnorum artificum ſtatuas,

Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis naſoque carentem.

quos ipſos cùm injuria ferè nobilitet, non video cur iſthæc tibi ſordere debeant ruta cæſa; nulla ſpe reliqua reſarciendi quæ vetuſtas conſumpſit; atque utinam de ea ſolum queri liceret! neque etiam perirent electiſſima quæque marmora morte factâ manu; nam ô pudor! ô ſcelus! vel calcarias implent reſoluta in cineres, vel novis adaptantur ædificiis eraſa obductave ſcripturâ priore; quod ecquis pro dignitate ſatis aut deploret aut exſecretur? non ego; non tu Lector; qui ſi domi habes Epigraphas iſtis integriores, caſtioresve, ne invideas collegio Muſico: magnam initurus apud doctos probosque gratiam; maximam verò apud me, ſi & illas per occaſionem communicare dignatus fueris, quas aut fatum aut fortuna in manus noſtras incidere noluit; id ut promptius præſtare poſſes, ecce tibi laborioſiſſimæ ſimul & tædioſiſſimæ curæ Indices XXIV. quos ſi excuſſeris, ſcies ſtatim quid huic noſtro volumini deſit, quid non. Ut etiam noris è quibus libris vulgo publicatis opus iſtud concinnaverimus, habe tibi ſyllabum unum: habe & alterum, ne excidant animo tuo, qui benevolentiæ toto quaſi ſinu nobis præſto fuere; ac, quod minimum eſt, eis benè precare: inprimis Reip. Literariæ legitimis illis Duumviris, Scaligero & Velſero, libri hujus Latibus pluſquam familiaribus.



INDEX
Eorum, qui scriptis publicis profuerunt.

INDEX
Eorum, qui scriptis privatis profuerunt.

AD

AD IANVM GRVTERVM

In digerendâ omnium Antiquitatum & Inſcriptionum farragine occupatiſſimum

PAVLI MELISSI FRANCI, COM. PAL. ET EQ. AVR. CIVIS ROM.

MELOS.

LABORIOSAE pondera ſarcinæ,
Gravemque molem viribus imparem
GRVTERE ſuſcepſti, ferendam
Vix humeris (ut opinor) æquis:
Atlante ni quo forte vel Hercule
Suffulciaris membra, Deusve quis
Adjutet auſum, Dædalive
Mens cata, & ars teres Archimédis.
Atqui vetuſtas marmorum & antium
Inſcriptiones, quotquot adhuc ſuper,
Comprendere uno faſce, & unâ
Congerie ſerieque tentas;
Sed diſtributis ordine claſſibus,
Ad quas referri ſingula debeant
Dicata vel ſacrata. Qui te
Non alacrem adſiduumque cernit
Apollo? quæ te non vigilem videt
Diana? Noctes atque dies tibi
Sudat cerébrum in litterarum
Commoda, & uberiora meſſis
Largê metendæ farra. Licebit huc
Inferre falcem cuilibet, & penum
Augere frumenti maniplis,
Liberiusque frui paratis
Per SMETII illam ſollicitam manum,
Tritumque callem. Pectoris ut boni eſt
Ac liberalis candidique
Divitias tot opumque gazas
Haud invidendas ducere poſteris;
Et hujus ævi præcipuê viris,
Antiqua rerum vindicata
Delicias & amœnitates
Ratis ſupremas! Pléraque gentico
Sint more quamvis ſcríptaque díctaque;
Æterna durant, optimêque
Promeritis ſua dona præſtant;
Divis honorem, principibus decus,
Bellis triumphum, cojugibus fidem,
Heris amorem. Miror ipſe
Ante alios, facioque pluris
Tales Latinûm relliquias, ſupra
Quodvis vel aurum, vel diademata
Regum, vel externo orbe gemmas
Et lapides pretioſiores,
Et margaritas. Tu niſi ſentias
GRVTERE mecum (SCALIGER hercle enim
Præluſtris auctor, LIPSIVSque
Inclitus hac in opinione eſt)
Quid attinebat ſumere tam diu
Tantum laborem, tantam operam, probê
Rectêque & exactos ad ungues
Quæque ſuis poſuiſſe metis,
Locisque fixis? Quæ tibi præmia
Remunerari poſteritas amet,
Ingrata ne ſit immemorve
Muneris exhibiti benignê;
Niſi ut beari te ſtatuâ aureâ
Dignum æſtimarit? Lemma ſit additum,
Quod cuncta cunctorum priorum
Lemmata in ære recente vincat.

IN AVGVSTISSIMVM OPVS INSCRIPTIONVM ANTIQVARVM id eſt ROMAM REDIVIVAM.

AD ILLVST. V.
IANVM MATTHAEVM WACHERVM,
DE WACHENFELSA EQ. IC. ET
IMPERIALEM
In aula Cæſaris Conſiliarium
SCIPIO GENTILIS.

IMMORTALE decus terrarum, & ſumma poteſtas
Condita Roma fuit; toties incenſa, virebat
Illa tamen, totius imo demerſa profundo
Extulit auguſtos iterum ſub ſidera vultus
Pulchrior, abſterſaque fremens regnare favillâ,
Victores ſibi capta ſuos ſervire coegit.
Olim armis, & jure potens; nunc legibus Orbem
Temperat, & Scythicam diſpergit lumine brumam;
Humanosque homini mores largitur, & artes.
O qualem te te memorem! licet omnis ab Indo
Æquore, hyperborei cana ad confinia Nerei
Barbaries conſpiret ovans, abolere tuorum
Non tamen illa queat titulos, aut facta Quiritum.
Præſertim cum jam præſens tutela RVDOLPHVS
Romanorum ADSIT *felici numine rerum:*
Dacia nunc Aquilis cujus victricibus omnis
Horruit, & veteres Trajano à principe clades

Nondum oblita, novis luget servata triumphis.
Nam quid Pannoniæ celsis simul arcibus Albæ
Dejectos referam Turcas? monumentaque Regum
Threicio subtracta jugo? geminaque receptum
Danubium ripa, Geticas effundere laurus?
Incolumi nihil est metuendum Cæsare nobis.
Namque hic Cæsar, hic est, cujus pietate vel armis
Libera turba sumus, cui se vincenda reservat
Impietas, sævique furor Mavortius Aemi.
Quem Russi Persæque colunt, atque ultima Bactra,
Hircanæque timet rector Tanaiticus aulæ,
Et pellitorum feritas adcisa Gelonûm.
Quid mirum est igitur, tanto si præside mundi
Exultant artesque bonæ, Romanaque rursum
Gloria purpureas latè quatit inclyta pennas?
Si lapides, atque æra loqui toto orbe Latina
Incipiunt, priscumque redit decus ære cassis?
Haud periit Roma, haud periit: dejectaque regni
Possessu, retinet titulis dominantibus orbem.
Quos pia GRVTERI *collegit, & ignea virtus,*
Æmula Velseridarum animi, ne Rhætica tantum
Illustrata suo tellus se jactet alumno.
Nam quid præter opes Latii, Romanaque jura
Tot saxis inscripti apices, totque eruta in omni
Vociferantur humo veterum simulacra virorum?
Arcusque, turresque, & sacro pulvere Circi
Area mollis adhuc, moriunque exstructa ruinis
Æquora, & ingentes subjunctis pontibus amnes?
Quæque opera haud penitus lucrum sapientia mentis
Hauserit humanæ; quid enim tot damna superbi
Imperii spectare juvet? nisi forte caduca
Omnia uti contemnamus, mortemque feramus
Aequo animo, cum regna mori videamus, & urbes.
At non GRVTERI *vilis labor: aurea nobis,*
Aurea doctrinæ & dulcis fert commoda vitæ.
Nec quisquam est adeo studiis aversus honestis,
Atque adeo ipse sui, divinæque inscius auræ,
Quem non tanta ævi capiant miracula prisci:
Qui non tam doctis hæc plena in marmora rebus
Defixis oculis inhiet, tacitusque parenti
Tanti operis summas agat imò è pectore grates.
Te quoque, Cæsarei decus & pars magna Senatus,
WACHERE, *ingenuo decet adplausisse labori:*
Teque adeò longè reliquis magis, ut tua summis
Mens adsueta viris, claraque in luce locata,
Nil humile, aut vulgare potest tractare: tuusque
Nec sinat hoc splendor, nec sancta negocia Regum
Virtuti commissa tuæ. Te Cæsaris olim
Acriæ vidêre Alpes mandata ferentem:
Orantemque Padi stupuit chorus, altaque Romæ
Curia tota illuc studiis effusa videndi,
Et Tartessiaci proceres, delecta virorum:
Te comite ingentis cum Regis ad atria Nympham
Mitteret augustam montani regia Carni.
At non has inter curas, hæc maxima rerum
Pondera, Pierios cessas invisere saltus,
Thespiadumve amnes, muscosaque deseris antra.
O ego quæ præsens vidi, cum regia nuper
Forte advenissem viridantis flumina Moldæ!
Quantus in his studiis nostris mihi visus, & omni
Antiquâ, dignaque animis illustribus arte?
Cui nequeat furor, invidiæ nec tela nocere.
Quò magis hæc te GRVTERI *pulcherrima texta*
Esse probaturum spero, lætique favoris
Ipsum, GENTILEMQVE *etiam (nisi fallimur) umbrâ*
Amplecti perrecturum. Sic gratia magni
Cæsaris, æterno meritum te cingat honore,
Et tua Musarum florescant nomina fastis.

T. B.

ADVERSVS tacitæ damnata silentia mortis
Tam variis olim sculpta sepulcra notis,
Barbara succedens quum prorsus sperneret ætas;
Plurima cum cippis interiere suis.
Quæque superfuerant disjecta hinc inde jacebant,
Ceu penitus nullo restituenda die.
Hoc GRVTERE, vetas; magno congesta labore,
Ista tuâ monstrant ut rediviva manu.
Immo quæ sperni non intellecta solebant,
Ecce novo splendent lumine clara tuo.
I nunc, & nobis sylvas rupesque sequutas
Orphea cantato, Græcia vana, tuum.
Ante legebantur lapides: interprete demum
GRVTERO lapides en didicere loqui.

IOSEPHVS SCALIGER
Iulii Cæsaris F.

CADMÆAS *jactet cur mendax Græcia turres,*
Aut Amphioniam saxa secuta lyram?
Aspice, quod surgens non parva mole Theatrum
GRVTERI *struxit Dædala cura mei.*
Usque pererrato terrarum fine petitus
Cernitur ex omni plurimus orbe lapis.
Armorum hic titulis, ille est incisus honorum:
Consulis hic fulget laudibus ille Ducis.
Nobilium decorum custos GRVTERE *Vetustas*
Explicuit census in tua vota suos.
Scripta tot elogiis, tot dissita sedibus olim,
In titulos laudis nunc coiere tuæ.

DIONYSIVS LEBEVS-BATILLIVS
apud Mediomatricos Præses Regius.

HERCVLEVS *labor hic, vario tot ab orbe labores*
Congessisse operum, tot monumenta simul,
Tot saxa & lapides, tot marmora totque columnas,
Æra tot & statuas, Artificumque manus,
Queis tanta attolli & cælo se educere moles
Incipit, ut jam non grandius extet opus.
Thebanos quali in muros Amphionis olim
Arte agitata simul saxa coisse ferunt.
Macte his, GRVTERE, *& semper majoribus instans*
Vince animis, æstus exsuperaque tuos.
Gloria det vires, det responsura labori
Par fama, & curis præmia digna tuis.

CAROLVS VTENHOVIVS
Niculandiæ Dominus.

SVSPECTA *quamvis sit fides præconij,*
Quo prosequuntur se domestici, tamen
Suspectus heic tibi esse CAROLVS *pater*
GRVTERE *fili, haud debet* VTENHOVIVS.
Idem ipse namque corde & ore censeo,
Quod quisque corde & ore censet, ardua est
Cui notior paulo ipsamet Antiquitas.
Sic nempe parva, magna, depinxti decus
Quiritium quæ prorogant, ut Cous hæc
Nec ipse Apelles potuerit melius, suis
Phidias nec ipse coloribus depingere:
Posthacque nemo sit futurus qui improbo
Sumptu ac labore visitet sparsa Italum
Passim per Orbem Marmora, hinc capite, hinc pede,
Hinc corde diminuta: cum palam omnia
Perfectius, videre fas hoc sit libro.
Quippe ut puto GRVTERE *cuncta & exputo*
Non video, Cereris cur repertis frugibus
Nunc glande vesci iligna quis gestiat.

IDEM

IDEM VTENHOVIVS.

GRVTERE fili, sive frater mavelis
Deinceps vocari (quippe qui parente sis
Genitus GRVTERO; *ego* GRVTERA) KAROLVS
INSCRIPTIONVM *quæris ecquid de libris*
Loquatur VTENHOVIVS? *quod optimus*
Doctissimusque quisque: Laudo atque osculor
Industriam hanc simulque diligentiam,
Quæ tot Deos Deasque, totque Numinum
Et Templa & Aras, & Ministros & Popas,
Tot Cæsares, tot Imperatores meros,
Tot Consulares, tot viros Prætorios,
Et pace tot belloque viros nobiles,
Resuscitavit, eruitosque faucibus.
Mortis, reduxit rursus orbi & lumini:
Quos passibus sequuntur unctioribus
Et universi & singuli, per quos domi
Forisque Romani Imperii corpus stetit.
Nempe obligasti munere isto sic tibi
Veterem novamque Romam, ut ipsa plus ferat
GRVTERE *se tibi debere, quam suo*
Aut ROMVLO *quondam aut Camillo debuit.*
Restituit alter urbem & alter condidit:
Sed conditam, sed restitutam sic quoque
Subvertit Ætas longa; quodque reliquum est,
Ita funditus subvertet Ætas longior,
Vt invenire vix medio queat sui
Sui ruinam. Roma sed contra hæc tua
Tua gensque Martia hæc, vigebit perpetim,
Dum Luna summo, dumque Sol stabit polo.
Quin secla quo per plura curret, hoc minus
Senescet, usque floreum servans decus,
Dum vel juventæ controversiam haud levem
Hebæ dolente fecerit pulcræ Herculi.

ANNAE PALLANTIAE ET ANNAE Vtenhoviæ Acrostichis.

Præeunte prosam CAROLO VTENHOVIO.

IANE *pater cedat cui matutinus Horatl*
NVSquam non anni IANVS *origo novi;*
Gaudia pertentant tacitum mihi candida pectus;
Rex novus Ausoniæ plaudite IANVS *adest.*
Vnde biceps etiam velut ille Patulcius audit
Terrigenum & Superum Ianitor ille Deus.
Et meritò; namque ut Salius Deus ille Deorum est,
Rex etiam hic Vatum est & Deus Ausonius.
Vtque Bifrons idem quod & ante retroque tuetur,
Sic nihil est quod non IANVS *& iste videt.*

MARQ. FREHERVS.

QVIDQVID *in orbe vago locat ambitiosa vetustas,*
Marmore victurum nomen & ære parans;
Conficit omne malo dente invidiosa vetustas,
Tempus & humanis fortius ingeniis.
Diruta restituit mundo improba cura GRVTERI,
Tecta aperit, reficit fracta, soluta ligat.
Ære, quadris, statuis, tabularum montibus, orbis
Congerie, æternum surgere cernis opus,
Quale prius potuit ceu condere nulla vetustas,
Nulla itidem deinceps solvere secla queant.

IANVS LERNVTIVS.

QVAS *prisci nobis olim posuere parentes*
Ingenii atque animi signa notanda palam;
Sive decus partum memorabile pace vel armis
Secula quod posset sera monere sui.
Pleraque consumsit fatali dente vetustas
Egregium patiens nil superesse diu.
Ergo aut in tenues resoluta abiere favillas:
Aut laceram faciem vix reparanda gerunt.
Nunc ubi marmoribus tot credita scripta politis
Stabant Romano quæ numerosa foro?
Artificique manu splendescere jussa metalla
Et præferre catis tot documenta notis?
Rostra ubi nunc arcusque Ducum populique lavacra:
Et Capitolino templa habitata Iovi?
His anni nocuere: magis tamen horrida bella:
Partem majorem diripuere Getæ.
Atque Getæ atque Hunni, gensque effera Vandali, in omne
Prona nefas, ipsis asperiorque feris.
Sic Mausolæi moles eversa sepulchri est:
Sic vacua Agrippæ cælum imitata domus.
Quin domus ipsa Deûm, cecidit vetus aurea Roma,
Ruderibusque suis obruta penè jacet.
Sed licet ingeniis etiam pugnaverit ætas:
Nube vetustatis evolvenda gravi,
Plurima sunt ævo patrum nostroque reperta,
Multorum meritò quæ studium acre probant.
Armillis illi sanè exornentur & hasta:
Summa modò cedant sponte trophæa tibi.
Nam tua promeruit supremum industria honorem;
Possidet & famæ principem in arce locum.
Perge agedum GRVTERE *gradu pertendere pleno,*
Et benè conceptum prodere dexter opus.
Gloria victrices plectit tibi sedula Lauros:
Jamque tua ad cælum nomina laude vehit.
Palladis auspiciis sodes molire triumphum:
Sumere palmatam fas tibi jure togam.
Fercula distincto præcedant agmine currum:
Doctaque per titulos dicta subinde novent.
Ordine mox justo præcisis molliter alis
Tempus; & ingenti voce tua acta canat.
Post vultu in terram projecto mœsta sequatur
Barbaries collo vincula serva ferens.
Ipse tuo Elogium decori hoc præfigo volenter
Livida quod tristi lumine turba legat:
Quæ congesta vides digestaque corpus in unum
Mille locis Hospes sparsa ea nuper erant.
SMETIVS *inceptor: prorector* LIPSIVS *audit,*
IANVS *perfector Geryon esse potest.*
Quis satis hunc laudet? tumulo veteri excita Roma,
Tollit honoratum ceu solet ante caput:
Nec ferrum aut flammam metuit: secura senectæ,
GRVTERI ÆTERNA EST *munere facta novo.*

IACOBVS LECTIVS IC.

IANE quid excusas? fragili committere chartæ
Quod juvat inscriptas ære rigente notas?
Scilicet iste tuæ frontis pudor, iste modesti
Mos genii, probitas oris & ista tui est.
Si chalybem breve Tempus ais, solertiaque æra
Esse potest, oculis invia penè meis:
Si fugit humanos æterna in secula sensus
Quod Pario insculpsit marmore Praxiteles;
Quid seriem annorum, quid te invidiosa Vetustas
Sperem paginulis parcere posse meis?
Attamen, ô, Vati si quicquam credis amico,
Nec vatum rapiunt irrita verba Noti:
Et chalybe & ferro priscique perennior ævi
Aëre, & marmoribus Charta futura tua est.
Nec tumuli Heroas poterunt defendere letho,
Ni tumulos tumulis eximis ipse suis;
Nec quenquam exitio eripient monumenta, nisi ipsa
Eripis exitio tot monumenta prius.

MICHAEL VANDER-HAGEN.

ROMANI *Imperii quàm nota potentia latè*
Eois fuerit Hesperiisque plagis,
Historia Graja testantur & Ausones: ipsum
Nec monimenta operum tot numerosa negant;
Sive ea, adhuc majestatis nullius egena
Excelsum tollant sidera ad alta caput;
Sive Vetustatis genuino obnoxia, fracta
Parte sui plangant nobiliore solum.
Prodit & hæc eadem non una Inscriptio, linguam
Vocalem quæ Æri Marmoribusque creat.
Roma sed hæc ut tuta minus munimina sentit
Temporis adversus Barbariesque minas;
Præcipuè cum hinc Livor & inde Inscitia vexet
Temporis intactum Barbariesque minis.
Extitit haud unus qui stantia, quique tenebris
Mersa perennaret tot decora arte nova.
Non malè, si non vel fato, vel sorte, disertè
Interruptum istud plus semel esset opus.
Donec se soboles Mavortis Roma retexit
A capite ad calcem nuda, GRVTERE, *tibi:*
Momentoque repræsentavit singula, sæclo
Quicquid currenti est præteritoque fuit.
Nec mora· cuncta notas oculis animisque, & in unum
Rite coacta, Orbi reddis utrique palam:
Et facis, ut verè jam demum Aeterna vocari
Roma queat, Mortis libera tota jugis.
Nam quei, quæso, perire queat, quæ jam modò per te
Vitas uno eódem tempore mille capit?

HENRICI SMETII ODA.

HVMANA quamvis mens sibi conscia est
Vitæ perennis: corporis hoc tamen
Se carcere indignans in arcto
Et nimium fragili teneri:
Terræ universæ compita pervolat,
Rimatur intus viscera montium,
Marisque abyssos, & sagaci
Ingenio speculatur astra.
Nempe allaborat quærere gloriam
Sibi perennem: conjugis & sui
Hanc corporis vitam fugacem
Perpetuâ reparare famâ.
Hæc cura Nili ditibus accolis,
Belloque magnis Romulidis fuit.
Testantur enormes Colossi,
Pyramidesque, Obelisci, & Arcus.
Romana deinceps cum studio pari,
Egit propago, nomina ut & sua,
Et munia, & curas suorum,
Ipsi etiam lapides loquantur.
Quanti ô laboris, quantæ operæ fuit,
INSCRIPTIONES colligere angulis
Ex omnibus, quaqua coruscus
Sol Oriens micat, Occidensque!
Quas dum GRVTERI mens vigilax libro
Offert in uno: non alios modò
Aevo priores, sese at ipsum
Herculeo hoc opere ipse vincit.

BON. VVLCANIVS.

SCILICET *hæc etiam te laus* GRVTERE *manebat,*
Post maculas prisci abstersas scriptoribus ævi,
Quas illis sciolorum audax asperserat error:
Marmoribus quoque splendorem reparare vetustis,
Et statuas cipposque situ quos presserat atro
Longa dies, dias revocare in luminis auras.
Et variis inscripta notis animare metalla.
Testamenta, sacros ritus, Consulta Senatus
Et quicquid memorabile habet veneranda vetustas
Eruere, & Mnemosynes inscribere libris.
O te felicem studii, Herculeique laboris
Tanto operi impensi; quod non longinqua abolebit
Annorum series, aut ævi scæva potestas.
At tibi pro meritis dignas persolvere grates,
Aut æquare tuas quis speret carmine laudes?
Non ea vis animo aut tanta est fiducia nostro.
Nam mihi lenta salit circum præcordia vena, &
Difficiles veniunt in vota senilia Musæ.
Quod potero faciam tantum, & fungar vice cotis,
Inque tuæ, GRVTERE *acuam præconia laudis*
Par Iuvenum, queis nulla pares dedit aut dabit ætas;
Heinsiadem Grotiumque meum; quorum accipe versus
Queis tua commendant seclis monimenta futuris.
Namque alios quid commemorem, qui sive rogati
Sive suâ ornabunt docto te carmine sponte?
Me tantum excusatum habeas, quod nil tibi majus
Hoc offerre queat languens mea tempore Musa.

HVGONIS GROTII I. C.
JAMBICI TRAGICI
ἄθλιττοι.

O*RBIS supremi pignus, Æterni Sator* — προσφώνησις πρὸς τὸν NEICI.
Immense SERPENS, *ripa quem Nili colit*
Squammas virentem semper, & tortos sinus,
Qui volvis agmen simplici flexum viâ
Tui relapsus in notas vestigii,
Certis & hæres pervicax exordiis,
Voluminumque lubricis anfractibus
In os reductam prodigus caudam voras,
Tui Triumphans pandit æratas fores
GRVTERVS ANTRI: *Propter annoso situ,*
Quæ sola crescit Temporis dispendio,
Repit Vetustas ipsa consumptrix sui,
Trahique gaudet. Ille demorsos tibi
Reposcit annos, quæque Lustrorum parens
SPELVNCA *servat Sæcla, decurrentibus*
Reddenda Sæclis ducit in lucem manu,
Ævoque prisco donat ereptum diem.
Quicquid superbus ambit Astrorum Chorus, — Pereunt omnia tempore:
Et illa Signis picta Testudo Poli,
Quicquid creatum siderum princeps Deus
Victrice Noctis Phœbus illustrat face,
Fatale vulnus sentit Annorum vices,
Tempuique cuncta perdit, & primum perit.
Tam pulchra rerum forma res est unius
Dies Diei, dumque festinat mori
Occidit Ætas. Vnda Momenti rapax
Nunquam manentis, quicquid occurrit, gravis
Trahit fluenti mole, nec parcit sibi.
Excisa rupi saxa cano gurgite — Etiam metalla:
Ferocientis pulsa nequicquam Sali,
Quæ non voravit fluctus, absorbent dies.
Venis notatum Marmor, & commercii
Mortalis aurum pignus, & Gemmæ satas
Quascunque conchâ littus Eoum vomit,
Durusque Terræ partus inventum neci
Lethale Ferrum, deteruntur Sæculis:
Vitamque, cœli docta quam rectrix manus
Insudit æri, Temporum tollit mora.
Quid ista flemus parva, cùm totæ solo
Æquentur urbes. Heu QVIRITES *patriam* — Imò ROMA quoque
Efferte: ROMA *funus est tantum sui.*

Vrbis.

Vrbisque, SEPTEM *quæ sedens in* MONTIBVS
Sublimis Orbi jura subjecto dabat,
Illinc Diei sparsus, hinc Noctis Domum
Tangit, nec ipsâ clausus Europâ cinis.
In omne Mundi se latus lapsu gravi
Et GRAECIA:
Ruina fudit. Tuque GRÆCI *sanguinis*
Altrix, & *omnis Magna* DOCTRINÆ PARENS,
Olim tuorum Terra felix spiritu
Et in iis RELIGIOSA;
Quam nulla restas! Dira Fatorum lues,
Si nil profanum, quamlibet magnum, tui
Ferale virus effugit contagii,
Et delibutas peste PLVTONIS *manus*,
Tamen Sepulchris parce. Sacras MANIVM
Sedes, & *illud si quid est quod Mortuis*
Datur superstes; esse, quod vivi colunt,
LEX VNIVERSI *terret*, & *rursum mori.*

Virgo Triformis Orbis immensi novis
Dotata prædis semper, & *Rerum Malo*,
Quid impotenter in tuas sævis opes,
Quid BVSTA, CIPPOS, & *graves Victoriæ*
Testes COLVMNAS, & *Tropæorum struem*
Deies, nec ORCVM *liberas* ORCI *metu.*
Vmbræ silentes, Vulgus inferni Jovis,
Quibus quietem spondet æternam palus
Jurata Divis hic, quod amittant, habent:
Postquam, IVERVNT, *indices perdunt, quibus*
FVISSE *constet.* INSTAT ET MORS NOMINI.

SACRA;
Fas est profecto, Fas tamen Divos queri
Minus minores. Inferis non est grave
Pati Supernis Numinum turmis idem.
Rex ipse Divûm Fulminis Diri potens,
Et circinantis tota Cœli Civitas
Injurioso prorutas ævi pede
Despectat Ædes tristis. Ingentes moræ
Cedunt COLOSSI. SOL *suos Annos timet*,
Et LVNA *menses. Templa decrescunt situ.*
Jam nulla pendent è THOLIS DONARIA,
Jam nullus aras Agnus humectat Deûm,
Nec PROSICANTVR EXTA, *nec turis jacit*
Acerra fumos, nec fluunt imbres meri.
Delubra sordent. Vmbra Lucorum jacet
Honore nullo. Cœlitum vultus sacri,
Imaginesque, poplitem flexit quibus
Supplex precantûm turba, sunt ludibrium
PVBLICA;
Ævi rapacis, & *profani Temporis.*

Et ille Sacris æmulus REGVM LABOR,
Impendiisque structa moles publicis,
Census Beati Sola, durando perit.
Nam sive latâ subjicit Saxum Basi
Acuminato PYRAMIS *fastigio*
Tactura Cælum, sive PONS LONGVS *domat*
Superbientes Amnis objectus vias
Agris timendi, sive jussu Principum
PALATIORVM *surgit excelsum decus*,
Altumque jactant tecta culmen Barbaris
Suffulta Pilis, in suum finem ruunt.

Quicquid futuris destinatur Seculis,
quorum vix Inscriptiones restant.
Hæredibusque postumis inscribitur,
Mox lancinatis literarum ductibus,
Vocumque membris sponte dissultantibus
Antiquitatis vindices perdit NOTAS.

At tu, supremum STIRPIS ANTIQVÆ *jubar*
quæ prodeunt; auspiciis SCALIGERI, &
Alumne Cœli, CÆSARIS MAGNI *genus*,
Qui das vetusta post futuris secula,
Bataviaque gentis Eoa sonos,
Polumque terris, teque nobis, dum licet
Succurre Mundi SCALIGER *damno.* TVVM
Te TEMPVS *audit. Te decet Lustris dare*
Leges, & *annis. Ille felici manu*
Ferventis Ævi raptus ex INCENDIO
THESAVRVS, *Orbis* NAVFRAGI *lectæ tuâ*
VELSERI.
Dextrâ TABELLÆ, *parque* VELSERI *labos*,
Perosa dudum claustra privati Laris
Ibunt in auras, Regna nec posthac ferent
Nocturna, seque mancipabunt publico.

Novo Parentum maximorum Fœtui
GRVTERVS *almam primus alluxit Facem*, Opera GRVTERI.
Industriæque munus obstetriciæ
Promisit: ille tot virorum nomina
Invidit Orco, totque laudes Cœlitum,
POSTLIMINI*que* IVRE *luci reddidit.*

Custos inertis ante Cocyti Canis ΕΓΚΩΜΙΟΝ.
Cogente magno vidit Alcide diem
Miratus ore triplici Solem novum,
Vicarioque functa letho Thessala
Vitæ recepit lumen impensum viro.
Blandum sonante Ditis horrendas Lyrâ
Demulsit aures, conjugem qui perditam
Recepit Orpheus, & *receptam perdidit.*
Tenace Mortis impeditum compede
Ars Æsculapî liberavit Virbium.
Et absoluto jam colus penso semel
Novata nentes fila lassarunt Deas.

Plus ille fecit, qui tot ACTI TEMPORIS
RES *delitere non sinit mersas* STYGE,
Per quem senectam nulla MOLES *pristini*
Persentit Ævi, nec datum LETHES *aquis*
Opus caduco Regium sumptu perit;
Et Mortuorum (quis putet?) MANES *suis*
VIVVNT SEPVLCHRIS. *Sint ut hæc communia*,
GRVTERVS *ipsos solus* ÆTERNAT DEOS,
Et sacra servat. Est & *hæc laus propria.*
Vicère plures antè Leges Tartari,
Pro se nec unus, quosque VIVOS *transtulit*
Omnes revexit morte confectos Charon.
At hic PERENNE NOMEN OMNI SÆCVLO,
QVOD DÎS, ET VMBRIS REDDIT, HOC SERVAT SIBI.

DANIEL HEINSIVS.

Ὅσσα πάλαι ςήσαντο νέης ἀναθήματα νίκης
  Δεινοὶ Αρειμανέων ΚΑΙΣΑΡΕΣ Αυσονιων
Ὅσσα πάλαι κρατερῆς ΥΠΑΤΗΙΑ Φέγγεα ΡΩΜΗΣ
  Εἵσατο, πατρῴης ἔκτοδι δουλοσύνης·
Ὅσσα πάλαι πολεμοιο μεμηλότες ἡγεμονῆες
  Γράψαν ἐπὶ σκύλοις, γράψαν ἐπὶ λαφύροις.
Ὅσσα πάλαι κρηπίδεσσιν ἀρηρότες ἄνδρες ἔθεντο
  Ἱερὰ παντοίων ἔμμεναι ἀθανάτων
Γράμμασιν ὅσσα σοφοῖσιν ἐμοὶ ἐχάραξαν ΑΧΑΙΟΙ
  ΧΡΥΣΟΣ, ΟΔΟΙ, ΝΑΟΙ, ΤΕΙΧΕΑ, ΘΥΣΘΛΑ, ΛΙΘΟΙ.
Παντα κόνις μία κρύψε, καὶ οὐκ ἔτι φυκτὰ πέλοντο
  Αἰνύμεναι γλαφυροὺς κῆρες ἔβαν καμάτους
Πάντα δ᾽ ἔναλλα φέροντο πάλαι πάλαι, ὤμοι ἀνάγκης,
  Ἔνθεα καὶ βωμῶν γράμματα καὶ ξοάνων.
Ἤτοι ἄναξ ΚΡΟΝΕ δεινὸν, ἀνηλεὲς ἦτορ ἔχεσκες,
  Πιερικῶν λίην ἄμμορον ἀγλαϊῶν.
Πάντες ὀνείδιζον σοὶ ἀμείλιχος, οἷον ἐποίεις
  Μνημοσύνης ἀπαλῶν ςήθεα θυγατέρων.
Οὐδὲ τεὴν ΓΡΟΥΤΗΡΕ τάδε φρένα δὴν ἐλάθεσκε,
  Τυκτὰ δὲ ΜΟΥΣΑΩΝ ἔντεα δὺς προύβης.
Αὐτίκα δὲ ΣΚΑΛΑΝΟΝ ἔλ υ μέγαν, εἶλαρ ἔσεσθαι
  ΖΗΝΟΣ ἐριγδούπου πατρὶ μαχησομένῳ
Ἴςωρ δ᾽ ΩΚΕΑΝΟΙΟ φίλος παῖς ἔπλετο ΡΗΝΟΣ,
  ΡΗΝΟΣ ΙΒΗΡ λαμπρῆς κιδναμενος προχοῆς·
Ἀντίτυπον σάλπιγγος ἑὸν ςόμα καλὸν ἄειρε,
  Ὄρθια δ᾽ ἐλθόντος πρὸς πόνον ᾆδε μέλη.
ΕΥΟΙ εὐς ΔΙΟΝΥΣΟΣ ἐπίαχε ταῦτα λελογχὼς
  Ρεύματα, νυμφίων σύννομος ὁπλοτερέων.
Οἰοπόλοι ἐχόρευον ΟΡΕΙΑΔΕΣ, ἔβρεμεν Ηχὼ
  ΠΑΝΙ φίλῳ ληπτοὺς πηξαμένη δόνακας
Ἔνθα θεός τοι ἔδωκεν ἄδην μέγα κῦδος ἀρέσθαι
  Λὰξ δὲ νὶν ὑμετέρη ἔφθασας ἠνορέη
Ηράμεθα κλέος ἐσθλὸν, ΙΗ, ΚΡΟΝΟΣ ὁ πρὶν ἐπιςὰς
  Οὔδει πολλὰ παθὼν κεῖται ἐρεισαμενος.
ΙΗ ΙΗ ΓΡΟΥΤΗΡΕ φίλαι φίλαι εἴπατε ΜΟΥΣΑΙ
  Εἴπατε δ᾽ ἀρχαίων ἱέμενοι ΧΑΡΙΤΩΝ

ΣΤΥΓ-

ΣΤΥΓΝΟΣ ΕΗ ΑΜΑΘΥΝΕ ΠΑΛΑΙ ΚΡΟΝΟΣ ΑΓΡΙΟΣ ΑΡΠΗ
ΧΡΥΣΟΝ, ΟΔΟΥΣ, ΝΑΟΥΣ, ΤΕΙΧΕΑ, ΘΥΣΘΛΑ, ΛΙΘΟΥΣ.
ΑΝΤΙΚΡΟΝΟΣ ΓΡΟΥΤΗΡΟΣ ΕΩ ΠΑΛΙΝ ΕΓΡΕΤΟ ΧΑΡΤΗ
ΧΡΥΣΟΝ, ΟΔΟΥΣ, ΝΑΟΥΣ, ΤΕΙΧΕΑ, ΘΥΣΘΛΑ, ΛΙΘΟΥΣ.

DAVID HOESCHELIVS.

Υἱωνὸς τοῦ Ἀδὰμ, προϊδὼν κατακλυσμὸς ὅτ' ἔςαι
Τοῖος, Ἰώσηπος οἷον ἔγραψε, πάλαι·
Εὕρεμα τεχνάων ξύμπαν ταμίευσ' ἀναμνήσει,
Ἐγγλύψας ςήλαις πλινθοιο καὶ λίθοιο.
Ἆρά τι καὶ σέο νοῦς προορῶν, Γρουτῆρε, πέλωρον·
Σπουδῇ καββαίνει ἔργον ἐς ὧδε μέγα;
Μῶν ὄλεθρον σεισμὸς τῆς γῆς πολίεσσιν ἀπειλεῖ;
Μῶν ὁ Ἄρης μούσαις, μῶν χαρίτεσσι, βλάβος;
Πρὶν γοῦν ςρεφθῆναι σύμπαντα ἄνω τε κάτω τε,
Πρὶν καὶ φθαρθῆναι ἀγλαὰ δῶρα θεῶν·
Ἑλλάδος, αὐσονίης, κειμήλια, ἄλλοθεν ἄλλα,
Σητῶν νωλεμέως, εἰς φάος ἄρτι φέρεις.
Ἄλλοι ἄρ αἰνεόντων κόσμοιο τὰ θαύματα κεῖνα,
Θήβας αἰγύπτου τὰς ἕκατον πατύλους.
Ἰφθίμης βασιληΐδος αὖ βαβυλώνια τείχη·
Μνῆμα τὸ Μαυσώλου· πυραμίδων τε δομήν·
Κίονα τὸν χαλκοῦν, εἴτ' ἐν Ῥόδῳ ὄντα κολοσσὸν,
Ταρπήϊόν τε λόφον· Ἀδριανοῦ τε νεών.
Ταῦτα, μέγιςα πάλαι, κόνις ἤδη, τοὔνομα μοῦνον
Γνώριμα· οἷα φιλεῖ ἔμμεναι ἔργα χερῶν.
Τοὔνεκα σεῖο πόνου, Γρουτῆρε, διαμπερὲς ἡμεῖς
Ἄσομεν, εὐφυίης ὄντα καὶ ἀθάνατον.

NICOLAVS REVSNERVS I.C. COMES PALATINVS CÆS.

Qvicquid in Europa veteris mirabile sæcli
Extat, & antiquis extitit ante libris:
Sive Deûm cultus priscos formasque Dearum,
Seu veterum spectes clara trophæa Ducum:
Sive Magistratus antiquos, sive Monarchas
Consulibusve pium, quod datur, obsequium.
Sive Palatina officia, & Collegia, & ipsos
Artifices; veteris denique Militiæ,
Seu monumenta virûm, qui vel periere sub armis,
Laude sua vivi vel meruere decus.
Quæque sibi præstant vir mutuò & uxor, amici
Cognatique simul quæ, Sobolive parens;
Aut contrà; vel quæ liberti cura patrono
Debita, vel quis honos præstitus huic & amor:
Omnia & his uno (mirum!) plura addita libro
Auspiciis fas est cernere, IANE, *tuis.*
O decus! ô labor immortali dignus honore!
Pro meritis tribuant Dii bona cuncta tuis.
Id nec enim possint homines, large tibi quamvis
Cuncta sagi exhibeant munera, cuncta togæ.

TOBIÆ SCVLTETI I. C. AC CONSIL. CÆS. Parodia.

Nvnc est legendum, nunc hilari manu
Volvenda charta est; nunc Latiaribus
Explere curiosiorem
Tempus erit dapibus inventam.
Ante hac querelis prodere Gothicos
Juvit furores, qui Capitolio
Vrbique dementes ruinas
Funus & Imperio pararunt.
Intacta sævorum à grege Militum
Quæcunque restant abdita marmora
Lustrare, fortunæque priscæ
Reddere nunc potuit GRVTERVS.
Vix Roma tantis sospes ab ignibus
Sibi ipsa credit: tam lepido omnia
Redegit in priscos decores
Vernis hic Italia ruentis
Assertor: etsi SCALIGER *hinc suam*
Fert jure partem; nec minus inclyta
Debetur, ob jus auspicale,
VELSERIO *capiti corona.*
Fatale nostro sæculo, in intimos
ANTIQVITATIS *proruere angulos:*
CONVIVIORVM *alter latenteis*
Mente cata reparare ritus:
Alter jacentis MILITIAE *decus*
Novare tentat fortis, & abditas
Volgare formas MACHINARVM:
FVNEREIS *alius sepulchris*
Determinata Morte potentior
Priscos Honores asserit: Omnibus
GRVTERVS *antistans feretur*
Non humilem meritus Triumphum.

PETRVS SCRIVERIVS.

Post operam impensam, desudatosque Labores,
Ultima quos Vulgi trudit in ora manus,
Ecquid erit præmi? nam si benè judico, tantum
Post Opus emissum non inhonorus eris.
Fallor, an hunc totus Librum venerabitur Orbis,
Et diffissa tuis laudibus ora geret;
Teque tuumque ipse sacrabit nomen Olympo
Chelarum propter Erigonesque domum?
Macte, ô! si sileant Homines, te SAXA loquentur
ROMVLA, nunc Linguas sunt ea nacta suas.
Et meritò: namque hæc nullis obnoxia damnis
Incipiunt Fato prosperiore frui.
Ingenii sunt ista tui: quid, quod magis; olim
Florebunt cultu splendidiora tua.
Ipsaque in hoc dicent se lapsa furentibus Hunnis,
Ut veneranda magis te renovante forent.
Qualis supremo sibi præfica funere Phœnix
Pulchrior exusto fit recidiva rogo.

IANVS IACOBVS BOISSARDVS VESVNTINVS.

Præclarè vitam instituit; cui cura juvare est
Proximum, & humanæ commoda amicitiæ.
Conatus qui omnes huc dirigit, utilis ut sit
Omnibus; & prosit qua ratione potest.
Ille bonos inter radianti fulgidus ostro,
Lemnisco frontem circumeunte, micat.
Illi æterna offert victricem Gloria palmam;
Cæsariem lauro virgine cingit Honos.
Ille Deis carus mortalibus audit:
Securoque premit pulla feretra pede.
Quod si ita res habeat sese (quis vera negabit?
Ni cui sit fatuo pectore sensus hebes.)
Præmia quanta tibi tandem, quæ encomia solvet
Facta tuo locuples munere Posteritas?
Nulla ætas unquam sæclis ventura futuris
Aequabit meritum, magne GRVTERE, *tuum.*
Non tantum calles sanctarum dogmata legum,
Quæ docuit sacro carmine diva Themis.
Solicita arcanos Naturæ indagine motus,
Et rerum causas quærere cautus aves.
Nosti præterito, & quæ nostro tempore gesta
Traduntur longis condita in historiis.
Nec satis hoc visum est: Ne quid nescire puteris,
Ingenii vires porrigis ulterius.
Quicquid diversis Oblivio texerat ævis,
In clarum certas id revocare diem.
Quod commune tibi est cum multis: attamen ipse
In vita superas quemlibet invidia.

Mul-

Multi doctrina, multi ampla laude celebres
Hoc studium pridem proposuere sibi;
Prisca antiquorum scriptis monimenta notare,
Et quæ marmoribus sculpta vetusta patent.
Quædam Mazochius, Panvinus multa reliquit;
Quorum auxit doctus quondam Apianus opus.
Roscius hos, atque Ursinus, Peldusque secuti,
Clusius, Occo, Valens, Lipsius, & Smetius.
Idque iter ingressi Roussatus, Scaliger, atque
Cnibius, & magno non minor Aldus avo.
Atque alii, qui successu felice potiti
Illustres inter promeruere locum.
Sed tu horum insistens ausis, progressus es ultra,
Ad majus spirans sedulitate decus.
In medio socios stadio dum namque relinquis,
Meta extrema citis est tibi tacta rotis.
Collecta à reliquis auxisti, eademque repurgans
Mendis (diversi queis scatuere libri)
Ad primum rursus splendorem manca reduxti,
Solerti gnarus scabra polire manu.
Discerpti Hippolyti membratim frustra resumens
Priscæ illum vitæ munere restituis.
Fecisti ut formam vestiret ubique probatam
Indigesta inter rudera congeries.
Nam quod sejunctum à multis per membra relictum est,
Per te unum in corpus redditur Imperium.

ANTONIVS MAVCLERQVIVS.

H*As quis delicias, delitias Deum*
Vincentes, liquidum nectar & altilis
Quadras ambrosiæ scilicet, è sacra
Nobis largiflue suppeditat penu?
BIFRONTEM *veteris fabula temporis*
IANVM *tam dubiis laudibus extulit,*
Vt nunc vix aliquam reperiat fidem:
Te sed tergeminis præmia laudibus
Non incerta manent, IANE, *virum decus*
Doctorum radiis qui Sophiæ nitent.
Nam quod grandius aut magnificentius
Posset surgere opus cuiquam opere hoc tuo?
De quo cuncta licet maxima dixerit,
Hic aut ille, tamen dixerit is parum:
Nedum vaniloqui palleat ad notam,
Mausoleon opus si ferat alterum,
Miraclique ideò nomine dignius
Octavi, omne hominum quod stupeat genus.
Quicquid fida tibi marmora suggerunt
Orbem per triplicem; more modoque Apis
Mutas Pierios continuè in favos
Distinguisque suis ordine cellulis.
Ecce ut multa Deum, multa hominum, sui
Qui quondam fuerant sæculi adorea,
Laus isti niteat suaviter areis!
Haud usquam videas surgere latius
Florum mille acres, quos color atque odor
Carptos ungue quidem Pallados arguat,
At natos bifido Calliopes jugo.
O salve veterum fama Quiritum
Grajorumque nigris obsita nubibus!
Jam priscam faciem sumis & emicas
Majorum radiis æmula siderum.
Jam semper juvenis conspiceris; nec est
Quod dentes metuas Temporis invidi:
Immortalis agis, facta tui fabra.
Hac GRVTERE *tui est gratia muneris*
Quam grato celebret pectore Theseüs,
Quam grato celebret pectore Romulus:
Tanquam qui videant mnema datum sibi
Qui non esse queat mnema superbius.
Solvi ergo metuens penna superstitis
Rumoris superis te sociat choris;
Ac frontis geminæ IANUS *eis cluis*
GRUTERVS. *geminam quis faciem, rogo,*
Dicendus gerere est, hanc nisi nunc geris?
Heroum dum animas mille virescere
Constantique jubes vivere gloria.
Dum non illa modò cernis item ac foves,
Quæ sunt quæ fuerant nuper herique; sed
Aetatum spatio sexdecim & amplius
A nostro penitus segrega tempore.
Imò jure Deum concilio cluis,
Aevoque huic iisdem, IANUS *opimior.*
Quem sic fœderibus juncta adamantinis
Virtus ac Pietas altius elevant
Ut vultus valeas sumere bis duos
Ac IANVS QVADRIFRONS *esse, gemente vel*
Ter tristi Invidia: præcipuè decus,
Sustentante tuum grande DVVMVIRIS
Illis Cecropidum ac Romulidum rei:
Planè SCHALIGER *hinc dum juvat, hinc suis*
VELSERVS *studiis; auspicio pari;*
Theseus unus adest alter & Hercules.
Quos dum cogito; non amplius istius
Molem ingentem operis, comparo sæculi
Miraclis veteris septem: id Olympicum
Sed cœlum potius dixero, quin id est
Cælo cœlum etiam majus Olympico,
Quod tanti ille DVPLEX *æstimii putat*
ATLAS, *ut humeris sustineat suis.*

CVNRADVS RITTERSHVSIVS.

Γράμματα συλλέξαντος ἐνιγεγλυμένα πέτραις
ΓΡΟΥΤΗΡΟΥ ἀδάμαντι γράφει κλυτὸν οὔνομα Φήμη,
Μνημοσύνη τ' αἶαν διαφημίζει ἀνὰ πᾶσαν
Χαῖρε, φίλε ΓΡΟΥΤΗΡΕ. τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,
Πέτρας τε κρατερᾶς μονιμώτερον ἠδ' ἀδάμαντος.

Idem de obitu FVLVII VRSINI ROMANI. Ad illustr. MARCVM VELSERVM Reip. AVGVST. II Virum.

VRsinum quo vix probior, vix doctior alter,
Vix senior domina vixit in Urbe Viro,
Emeritum pridem, sed adhuc præclara merentem
De studiisque bonis & genus omne libris,
Communem ire viam postquam Mors impia adegit,
Nec potuêre virum tot merita eripere:
Omnia complebat mæror loca pervia Musis:
Omnia erant gemitus, omnia squalor erant.
Omnis & est Helicon luctu concussus, & omnis
Turba ruit, vulsis crinibus Aonidum.
Te quoque, quem impositum fulgenti Gloria curru
Pieridum haud vulgò per loca nota rapit,
Augustâ, VELSERE, nihil quo Augustius Urbe
Jurat se Aonidum nosse loquive chorus,
Vidimus humenti tergentem lumina dextra,
Dum desiderio carperis icte pio,
Suspirasque tuos luctu deperditus ignes,
Et bona, quæ pariter totmoda Mors rapuit:
Hà bona, præ quibus ignores Jovis altitonantis
Nectareos latices Ambrosiasque dapes.
Vivebat quippe ille tibi notissimus, & tu
Pendebas veris hæc bona ponderibus.
At nunc parce oculis tandem, VELSERE, fugato
Et gemitu pectus solve age lætitiâ.
Hem, luctum qui mutet adest in gaudia, præstetque
Ubertim VRSINI funere damna data,
GRVTERVS, cujus cata mens opus arduum & ingens
Molitat, à tenebris vindicat atque situ,
Illustri inque loco tanta inter nomina nomen,
Letheis, statuit, ne rapiatur aquis.
Felix tanta operis structurâ! nulla dies cui
Unquam tabifici damna ferat senii.

Per quem tot lapides vocales, saxaque fiunt
Non muta ex mutis, invida num poterit
Fama silere virum? Per quem tot nomina vivunt,
Credamue hunc ullo tempore posse mori?
Quod facis, huic, VELSERE, operique utroque faveto,
Præbet cui liquidum & SCALIGER auspicium.
Sint modò Patroni studiis, artesque vigebunt:
Ursinosque etiam Teutonis ora dabit.

P. BERTIVS
Æternitati Sacrum.

TEMPLA, *Arcus, Statuas, magni monumenta laboris,*
Imperiique sui, vacuum struxere per orbem
Romani rerum Domini, gens Martia; eundem
Finem Urbis Orbisque rati. Nunc plurima cernas
Conversa in Cineres, multa abdita, cætera passim
Divulsa, heu miserum! vix ut cum nomine restet
Umbra atque imperii falsa sub imagine truncus,
Aut si quid trunco truncum mage. Scilicet illa
Quæ dedit una dies, mox altera sustulit. At ne
Relliquias secli veteris populique Quiritum
Fata eadem eriperent nobis premerentque tenebris
GRVTERI *effecit mens enthea; quæ simul omnes*
Romani Imperii percurrens undique fines,
Hesperios, Gallos, Græcos, Parthosque fugaces,
Sauromatas, toto divisosque orbe Britannos
Marmora collegit, lapidesque & saxa reponens
Ordine distinxit; totque & tam clara reperta
Tot statuas, arcus, cippos, vastasque columnas
Complexus doctis tabulis, ne tempore possent
Absumi jussit simul æternare. Quid ultra
Mens humana queat? Quod non potuere minaces
Instructæque acies, quod non signa atque cohortes,
Victricesque Aquilæ, aut populi Fortuna togati,
Aemulus Alcidæ potuit GRVTERVS. *Abite*
Qui Martem Phœbo aut Musis præstare putatis.

IOH. ISACIVS PONTANVS.

DUm quondam Romana manus victricibus armis
Et deportatis terraque marique trophæis
Imperium extendit qua respicit ultima Thyle,
Et simul Hesperius simul huic pareret Eous,
Haud peritura sui voluit monumenta laboris
Erigere; & passim jam signa beantia cælo
Æternis dederat saxis, nisi avara vetustas
Saxa peredisset, fecisset nubila signa:
Sed vetus atque novum duo doctus secla GRVTERVS
Et cuncta ingenio renovans antiqua Reperta
Hac etiam incensus cura, dudum auspice magno
SCALIGERO, quicquid ROMANVS terminat ORBIS
Ingenio aut vidit, seu charis notus Amicis,
Europæ extremis ea cuncta reportat ab oris,
Et ROMANVM ORBEM noviter nostro excitat orbi,
Atque illum melius mansuris fundat in agris.
Macte animis, vir magne, istis, & viribus istis!
Non tibi vel MARIVS certaverit aut MARCELLVS
Imò ille ipse suos submittat SCIPIO fasces
Martia qui toties spectanda Quiritibus ora
Præbuit, & toties laceras firmarat habenas;
Verùm illi partem Imperii pro viribus auctam
Et defenderunt & latius asseruerunt.
Unus tu totam ROMANAM restituis rem:
Unde etiam STATOR IMPERII nunc solus habendus.

ELIAS REVSNERVS
MEDIC. ET HISTOR. PROFES.

SEptem mirata est Orbis miracla vetustas
Dædalea quondam quæ fabricata manu.
Nil hæc ad tantum, Herculeo GRVTERE labore
Arteque Dædaleâ quod modò condis, opus.
Romulei hoc omnes Procerumque Deumque colossos
Pegmataque (& quid non? exhibet Imperii.)
Macte tuo genio! non hoc, velut illa, vetustas
Destruet, aut cariem sentiet atque situm.

IOAN. IACOMOTIVS.

QUID poscis monumenta tibi GRVTERE parari
Quæ te loquantur mortuum?
Vivis adhuc gratus superis, & gratus amicis,
Gratusque Musis omnibus.
Fas vivos tumulare vetat: post funera demum
Tristes canantur Næniæ.
Ergo vive tibi charus, cœptosque labores
Ad umbilicum promove.
Nam dum quæ tandem carpit cariosa vetustas
Inscripta bustis nomina.
Heroum cippos, semestum marmor, & æra,
Sculptasque moles arcuum
Restituis, nonne ipse tibi immortale sepulchrum
Heroas inter extruis?

FRIDERICVS TAVBMANVS.

P*Alladiæ monumenta rei, quæ sequior ætas*
Obruit, antiquis eruta & usa viris,
SMETIVS *in lucem numerumque coegit, & usum,*
SMETIVS *Ausonicæ prima columna rei.*
LIPSIVS *hæc auxit: ditavit* SCALIGER. *at nunc*
Instar odorisequæ nare sagace canis,
Omnibus è Mundi vestigasti omnia lustris,
Nobilis Aonii pompa GRVTERE *chori.*
Quæ Lapidi atque Ebori Chartæque INSCRIPSIT *& Æri*
ORBIS, *in hoc prostant orbe coacta Libri.*

EILHARDVS LVBINVS.

IMperium sine fine dedi, *tibi Roma Poetam*
Mirabar dixisse olim, manus hostica Galli
Sauromatæque truces quam fundo evertit ab imo,
Mendaci insimulans divi enthea pectora vatis.
Abstulit hunc tandem errorem absolvitque Maronem,
Centum oculis Argus IANVS *secla omnia mundi*
Intuitus, velut altivolans Jovis armiger ales.
Qui laceram & cunctis distractam partibus orbis
Ut quondam Hippolytum dilatum hinc inde quadrigis
Restituit superis mira arte Coronide natus,
Colligit & jungit dextra invicta ardua saxa
Invidiâ & fato majora atque imbribus ævi,
Velseri magni auspicio & ductu Aligeri alti:
Auspicio meliore tuo, ficto Ilia Marti
Quem tulit, & cædem armavit furor asper in hujus
Quicum olim hirsutæ in silvis trahit ubera mammæ.

MICH. PICCARTVS.

M*Agnorum scriptis solio olim ejecta virorum*
BARBARIES *fugiit ad sola sola fugâ.*
Tumque suus studiis honor & sua præmia doctis
Constabant, Musæque exeruere caput.
Hæc ubi fœdarunt blattæ volventibus annis,
Inscitiique rudis cura magisterii,
Exilio rediens amissum aspirat honorem,
Atque locum sceptris optat ubique suis.
SCALIGER *ille Deûm genus, hoc unoque Parente*
Quod non se similem gignat & ipse, minor

Inge-

Ingemit hanc cladem, GRVTERVMque incitat auctor
Plenum illud fidæ pectus Amicitiæ;
Occurrat tanto sceleri quacunque liceret:
Ille docet lapides & monumenta loqui.
Audit BARBARIES, *&:* De me nunc *ait*, actum est:
Hac sola potui morte manuque mori.

IOH. VLRICVS CONSIL.
Ducis Bipont.

QVi nesciunt quod ante se natos fuit,
Futura nec prænoscere,
Interpretari nec valent præsentia,
Pueri usque ad extimum diem.
GRVTERE *tu futura cum novis doces,*
Antiqua cum præsentibus
Et comparare & comparata publicum
Jubes in usum serpere.
Labore quanto (nam silebo cetera.)
Monumenta quæ sunt uspiam
Qua Solis it reditque cursus, & notas
Antiquitatis publicas
Describis uno sedulus volumine
Et sumptuoso & pergravi;
Tentato & huic & huic; at nemini tamen
Perfectum ad unguem condito.
At ante quod sexcenties privâ prece
Nunc publicâ exorabo te.
Dias in auras luminis velis dare
Tam lecta pulcrè dictaque
Historia in omni. Aut si putabis jam satis
Fecisse, & altera alteris
Mandare vii; errabis. Vt sunt nunc Sophi
Sibi negata denegant,
Aut astra & astris altiora cogitant,
Divina mortales viri.

IOANNES MEVRSIVS.

LÆtior immensum Phœbus percurrit Olympum
Accenditque suo clarior igne diem.
Nigraque nulla tegit nubes, patet undique cælum,
Lunaque inoffenso lumine nocte micat,
Insolitumque æther lucem miratur in axe,
Et facie cerni fulgidiore juvat.
Et stupet & nescit quæ fortis causa benignæ,
Vnde sibi veniant gaudia tanta latet.
Sed novit Phœbus: neque enim res fallere certè
Vlla potest cœli Numina: cuncta vident.
Aspicit excelsæ rursum post secula Romæ
Magna per artificem surgere tecta manum:
Et totum priscis regnatum legibus orbem
Ausoniæ domino subdere colla jugo.
Scilicet id gaudet, perque æthera vectus apertum
Gratatur Romæ pristina regna suæ.
Jupiter æternam Veneri promiserat urbem,
Cœperat ille tamen penè carere fide.
Nam miserè collapsa, suâque sepulta ruinâ
Nunquam posse caput tollere visa fuit.
Quæque tot attulerant extremam gentibus horam
Fata timebantur contritura semel.
Et meritò, si non aut enthea Scaligeri vis,
Labentem prompta sustinuisset ope.
Aut tua per seros pietas memoranda nepotes,
Maxima Vindelici gloria Marce soli,
Aut etiam flagrans sollertis cura Gruteri,
Quem tenero eduxit Calliopea sinu.
Nunc erit augustos iterum cognoscere fasces,
Nota iterum trabea, & sella curulis erit.
Sanctaque discentur veneranda jura Senatus
Rostraque linguarum nobilitabit opus.
Cernentur currus cum tot victoribus alti,
Ardua Tarpeji scandere templa Jovis.
Rursus ad antiquas descendent Numina sedes,
Ac cælum in septem montibus esse putes.
Quæcunque & domina miramur in urbe fuisse,
Omnia nunc sese conspicienda dabunt.
Felices animæ quorum virtutibus ista
Præmia nobilibus fata dedere pia.
Debeat ut vestræ pietati Roma salutem,
Et vestrum teneat munus in imperio.
Suetaque quæ dominos antehac agnoscere nullos,
Sit dominos posthac vos habitura suos.

D. HEREMITA ANTVERP.

PHÆBVS diei rector, & noctis parens,
Alterna lucis dividens mundi globo,
Metat citato terminos cæli gradu;
Lucemque nocti mutuâ ponit vice;
Vicemque secum ludit humanam, trahens
Vna sub ortum quicquid hic rerum sator
DIES *sub auras ducit, áque ortu simul*
Vehens in atrum noctis æternæ chaos.
Hoc circinato cuncta voluit ambitu,
Vnáque sese versat; at constans sibi
Discedit idem semper, atque idem redit.
At hic caducûm degener mortalium
Molitur ægris quicquid in terris manus,
Circa fugaces TEMPORIS *rotas ruit:*
Jactatur orbem circum, & in malum suum
Luctatur, & se pascit infelix malo;
Et usque ducit, ut modo tædens sui
Sese nocendo perdat, & se vindicet.
Si forte gratâ ducat hæc Tempus morâ,
Moram superbo duplicat ludibrio.
Sensere motus ImperI fasces vagos,
SOLESque MVNDI, *principumque munia,*
Latè Tyrannûm queis prius GRAIÛM *manûs*
Tractare frena mobilis Regni dedit:
Vltro potentis unius manum timens
Quò sola cunctos viribus subdat suis:
Cunctosque tandem quæ timere jusserat,
A se timeri jussa, nec sese tulit;
In seque lapsa, fassa & impotentiam
Lusumque fati. Post modum tulit ferox
Fasces QVIRINVS, *in suum felix malum:*
Mundique circum terminos finem ambiens,
Invenit in se: cæteros vicit manu:
A seque victus, seque submisit sibi.
Nec ipse fugit Temporis ludibrium,
Ævi procellas sensit, & fluctus vagos,
Orbesque rerum, terminosque mobiles;
Et mole victus ipse subsedit suâ.
Tyranne TEMPVS, *tuque quæ bonis ferox*
FORTVNA *damno ludis & gaudes tuo,*
Sempernè ludes? semper obtutu tuo
Timebit alto quisquis in gradu sedet?
Per te sepulta est GRÆCIA; *& busto carens*
Infensa cineri tymbon infelix gemit
Jacetque per te ROMA: *nec* ROMAM *tibi*
Tantum petisti; vindices famæ necas,
Vitæque testes; cladibusque pasceris
Avara rerum: decoquisque quicquid est
Vastas per orbis dissitum compagines:
Nec morte tantum, casibusque civium
Satiata & Vrbis; at Cadaver invida
Tumulumque tangis, & columnarum globos,
CIPPOSque *longi funeris tristes notas;*
Queîs se futuri provida ad secli metum
Munivit ipsa; conscia & fati sui,
Et imminentis augur ipsa funeris:
Mortem videndo posse se negans mori.
Avare parce, parce: ne desit tibi
Lugere qui te possit, & damnum tuum.
ROMAM *precamur; quæ suos casus timens*
Jactura Famæ ne quoque augeret suæ,

 Tumu-

Tumulum sacravit, & sacrum SAXO *locum*
Munivit, ÆRE *vinxit &* FERRO *ambit:*
Hæc sola Fati foverat solamina;
Famam ut futuris prorogaret Seculis.
In ista TEMPVS *ivit, in Tyrannidem*
Nunquam quietum, ut nec quidem parcat sibi.
Tandem misertus SMETIVS, *quassæ manus*
Porrexit urbi: dumque spem vitæ facit,
Vindex Latinæ LIPSIVS *suadæ subit;*
Quidvis paratus ferre, dum suam sibi
ROMAM *ruentem redderet. Sic hi simul*
Moras fugaci compedes ævo parant:
Fessique quærunt, qui mali tanti potens
Fortes cruenti diluat fati minas.
Inventus ATLAS, *pondus hoc victor suis* GRVTERVS.
Qui ferret humeris, Liberum ROMÆ *diem*
Servaret, ipsis dum favet nepotibus,
Ludens superbi TEMPORIS *tyrannidem.*
Subvenit alto sydus emissum polo
IVLI *propago, temporisque pristini* SCALIGER.
Vindex, suique: Magnus ALCIDES: *cui*
Non Hydra centum pullulans cervicibus,
Non fabulosus adstruit nomen Leo:
Sed monstra centum, quæ vorax rerum Dies
CADMI *misellis* FILIABVS *illinit.*
Gaude QVIRINE, *prodit alter* IVLIVS
Magni tonantis natus, & partus Deûm;
Major futurus IVLIO, *major tuo,*
Latè patentes qui tibi orbis terminos
Emensus uni est: te sed hic tandem tibi
Reddetque, & illum qui tibi mundum tulit.
Sperato vitam, vita dum manet tua
Qui regna rursus juraque extendit ducem.
Plausum QVIRITES, *& parate* CIVICAM
Victor triumphat SCALIGER: *Linguis Io*
Favete cuncti. Quid moramur aureos
Huic curules: ambiat Laurus caput;
Currumque lambat victa temporum cohors.
At tu superbe victor, alto despice
Circumfluentes gaudio QVIRITIVM
Turbas tuorum; despice angustas manus
Tibi minantes: excipe has preces precor
Laudesque victor, quas tibi parvo fluens
Hæc musa nostra destinavit ubere.
Et tu GRVTERE, *Sic tibi sacris caput*
Circum beatis frondibus cingant Deæ;
Illæ perennis præsides PINDI *Deæ.*
Attolle cælo verticem, & famam tibi
Specta manentem tot per annorum dies.
Sic perge victor. Siquid uspiam latet
Te te vocabit: tendet ad te supplices
Manus QVIRITVM, *quisquis auxilI indigens*
Jacet sepultus, & sibi funus facit.
Cessas GRVTERE? *vita tot virûm tibi*
Vitam parabit, quam nec annorum metus,
Non jura fati, aut Cælitum vanus timor,
Non ipse vasti diluat NEREI *pater:*
Quam FAMA *victrix temporum, Deûm ordini*
Adscribet, inter Syderum augustas domos.
Brevesque vitæ terminosque lubricos
Nomen perenni luce pensabit tuum.

SEBASTIANVS HORMOLDVS I. C.
ac P. Nobilis. Jambis puris Senariis.

NIhil reor potesse gloriosius
Celebriusque dicier, quousque Sol
Recursitat per hujus Orbis orbitam
Plagasque, quam scientiis in omnibus
Habere vel penum vel artis amphoram
Reconditæ, fluentis instar alvei
Peruberem perhumidamque plurimùm,
Id est profana multa, plura noscere
Sacrata, sert ut ordo quisque temporum.
Sed heus GRVTERE *tute plurimiscius*
Es ille, promeresque nomen inclitum
Habere, floridumque ferre perpetim.
Nec explicabo tanta dona fusius.
Opus loquetur arduum, pol, aureum,
Et omnibus proinde lectitantibus
In orbe semet evidenter offeret,
Et indicabit, esse nobilissimo
Suo Patri simillimam propaginem.
Nec est nihil, sub unico volumine
Profana-sacra cuncta comprehendere,
Quod heic facis reapse: quippe colligis
In unicamque colligas libri struem,
Vetusta quicquid hæcque nostra secula
Habent ad orbis omne latifundium
Reconditumque creditumque millibus
Viis, foris, vel in profunditatibus
Humi: nihil revelat iste providus
Liber. quid? heic obambulare cernimus
Quasique semet introducier pati
In urbium theatra, more Comico,
Deum Deosque, templa, porticus, vias,
Theatra pontiumque saxa quadrua,
Domos, lares focosque, tum Quiritium
Duces, deinde Flamines & Ordines
Sacros, virosque secularis Ordinis,
Equestris inde, Militumque copias,
Palatiumque Cæsaris, nec unius,
Sed omnium tot ante secla Cæsarum,
Patres deinde Liberosque, conjuges
Adinvicem, propinqua jura sanguinis,
Dehinc heros pedissequosque simplices,
Genusque id omniforme mortualium.
Quid inquiam? Volumen istud aureum
Adinstar est profecto mille millies
Librûm. Jehova faxit ut velociter
In hoc gravi labore, tum perutili
Eas, ad exitumque porrò provehas,
Ut à labore pax quiesque languidum
Focillet, atque recreet, sed interim
Tui coruscet ampla fama nominis.

CHRISTOPH. COLERVS. I. C.

Πάντ' ἀρχαῖα νοεῖ, καὶ πάντ' ἀρχαῖα διδάσκει
ΓΡΟΥΤΗΡΟΣ σοφίης φῶς μέγα Βελγογενής.
Ταύτῃ καὶ Σκαλάνου μεγάλου κρίσις οὔποτε κόσμου
Πάντες τῶν πάντων ὄμμα λέγουσι σοφῶν.
Δοξομανὲς τὸ γένος δύναμιν χάρτων τί ἀναιρεῖς;
ΓΡΟΥΤΗΡΟΝ μοῦνον ἃς θέμις ἐστὶν ἀροῦν;
Cuncta antiqua tenens & cuncta antiqua professus
GRVTERVS magnæ est lucida fax Sophiæ.
SCALIGERI *ipsius stetit hac censura, per orbem*
Cujus in ore hominum grande sophos volitat.
Desinis ambitio infinitas perdere chartas,
GRVTERI *pingi quæ potuere manu?*

MICH. VIRDVNGVS.

VUlgi profani postquam acuit semet
Pectus peruren tædium, in avios
Exinde Musarum recessus
Me rapuit generosus ardor.
Ubi alma dum umbram saltuum opacitas
Reconditorum præbet, & halitus
Auræ veget divinioris;
Continuo penitus medullis
Hausi furorem, mi simulac tua
Illa ingenI vis enthea perculit,
GRVTERE, *mentem, qualis olim*
Prodiit ex Heliconis antro,
Qualisque soli nunc tibi inæstuat,
Ardente vatum pectora spiritu,

Siquan-

Siquando prorupit, furentum
Corripiens, animosque flammans.
Hinc devtantis repere semita
Turbæ recusans, tendis in arduos
Virtutis ocris, artiumque
Edita templa, ubique nostro
Si quis Deorum sæculo amicior
Certare priscis, & dedit abditas,
Favente Phœbo Gratiisque
Promere opes adytis Minervæ.
Quin & Deorum si quis amicior
Sæclo vetusto, jussit edacibus
Obnoxia annis, prisca saxûm
Tot monumenta sacrare chartæ
Perenniori, jussit ut æmulus
Ursinianam clarus adoream,
Et vivus & post fata Famæ
Conspicuo veherere curru.

CVNR. SCHOPPIVS FIL.
Poëta Coronatus. P.

HUc ades, atque animo præsentibus immorare chartis,
Antiquitatum quisquis æstimator.
Qui multis tituli veterum loca per remotiora
Inscriptionum constitere caro:
Hos tibi GRVTERI sapiens labor ordine universos
Compendioso sistit intuendos.
Nec satis hoc: melior distinctius expeditum it index,
Quem quidque ad usum debeat referri.
Quos quidam vocitent apices licet, atque desitarum
Corrupta retrimenta litterarum:
His tamen absque foret, næ plurima priorum,
Caligo pernox presserit sepulta.
Quæ magno quoniam sumptu procul impetrata donat
Auctor sueta pro benignitate:
Ingratus fueris, tanti nisi feceris datorem,
Quanti tot annis munus expetitum.
Ipse adeo infandi penitus bene conscius laboris,
Inscriptionem dedicabo talem:
PER QVEM MILLE HOMINES A PERPETE MORTE VINDICATI,
GRVTERVS ILLIS LONGIVS PERENNET.

PAVLVS A GISBICE.

ASpice divinum, Lector cordate volumen,
GRVTERI ingenium quod dat in ora virûm:
GRVTERI, cujus non possum dicere nomen,
Quin primi ad cæli sidera laude feram.
Quid non sedulitas, quid non cura improba vincat,
Aureum & augustum te docet istud opus.
Quantum est Orcinis monumenta tulisse tenebris,
Et bene cuncta suis disposuisse locis!
Debita magna quidem VELSERO gratia, major
SCALIGERO, verùm maxima IANE tibi.
IANE, inquam, GRVTERE, tibi, vir summe virorum,
Victa cui palmam Pallas utramque dedit.
Sed quid ego de te? qui sis opus approbat istud;
De quo jam liceat dicere jure mihi:
NIL MELIVS, NIL SPLENDIDIVS, NIL DENIQVE MAIVS
GRVTERI DIO SOL VIDET HOC OPERE.
Hoc præsens colet hoc, veniens mirabitur ætas;
Mirari ROMÆ discet & inde decus.

ARNOLDVS MYLIVS F.
Birckmannus.

IANE, ô posteritatis innovator,
Mel merum Latiique Græciæque,
De cujus nimium gravi labore
Lis est, utiliorne doctiorne.
Quando hoc insolito tuo theatro
Quotquot sunt veterum recentiumve
Cipporum facies, in universum
Orbem mittis, & omnibus legendas
Spectandasque levi labore præbes:
Quo tecum rapis impetu tot artes,
Artes præcipuasque regiasque.
An quo Lipsius os Latinitatis?
An quo Smetius orbis ille prisci
Index? quo Batavus volasse Cygnus,
Solvi non metuente fertur ala?
Supra vulgus iners & imperitum,
Supra sidera fornicesque cœli.

LAVRENTIVS FRISAEVS. P. L.
Puris Trochæis Senariis.

SI GRVTERE non tibi celebritatem
Nominis tulêre lucubrationes
Tot benignitate Numinis, sub auras
Editæ, quibus Latinitatis arva
Atticumque rus, velut laboriosus
Agricultor impigre satis secabas,
Atque Barbarum rigore vindicabas.
Hoc opus profecto qua globosus Orbis
Cælicumque se palatium patenter
Explicat, celebritate Nominis te
Digniter beabit, indidemque famam
Aureis ad astra provehet quadrigis.
Namque quid vetus novumque paginis est
Creditum, vel uspiam reconditumque
Seculis ab ultimis, LIBER quod iste
Non revelet, atque in ora doctiorum
Mittat. Hic honor Deûmque Gentiumque
Cernitur; profana, sacra, luculenter
Hauriuntur. Hic habet quod Imperator
Rexque, Duxque, Nobilisque cætus, atque
Simplâ plebs, Patresque, Liberique, Servi
Et pedissequæ procaciter capessant,
Mentibus tenaciter suisque figant.
Verbulo loquar: potest VOLVMEN illud
Instar esse mille millies Librorum.

IOH. HVSVEDELIVS.

QVos titulos, quam non meruit tua cura coronam?
Quod marmor, quæ non æra sacranda tibi?
O pie productor veterum GRVTERE Virorum
Priscarum rerum nec minus alter Atlas.
Quicquid apud Grajos Italosque latebat; in orbe
Hesperio quicquid Teutonioque fuit:
Ecce suis pulcre latebris procedit, & umbris,
Solarisque audet luminis orbe frui.
Jure igitur passim Veteris Pater Orbis haberis,
Per quem orbis veteris Resque Virique vigent.
Hocque GRVTERE magis; metuant quod tempore nullo
Involvi deinceps nigricolore Chao.

ALB. EVFRENIVS.

QVod vitam extinctis reddis Grutere sepulcris,
Magnus es, Arcadio maior & ipse Deo.
Ille quidem vitâ functos revocavit ab Orco,
Vivere tu (mirum) muta sepulcra facis.

MARTINVS BRASCHIVS
Poëseos Profess. Rostoch.

VOs ad Romuleam qui sic contenditis urbem,
Qui petitis celeri Gallica rura pede;
Et quibus Hispanam curæ est invisere terram,
Et quibus Almanni jugera lata soli;
Quique ultra Hesperii Gades, pomaria mundi,
Euphratenque ultra deproperatis iter,

Vise-

Visere magnorum monumenta antiqua Quiritum,
Hæc quoniam vobis unica caussa viæ est.
Si qua vetustatem & Martis fugere tumultus,
Si qua situ & tenebris exeruere caput.
Nunc satis est: illum juvenes compescite cursum,
Unam præ multis præstat inire viam.
Quæ petitis toto orbe vagi, locus offeret unus;
Heic ubi Musis jura GRVTERVS *habet.*
Atlas antiqui, IANE *imperterrite secli*
Tantæ tune potes condere molis opus?
In quo concludas trifidum dispersa per orbem
Cerni millenis vix solita ante locis?
Magnificis victorum Arcus, vastasque columnas,
Cum Cippis Tumulos, cum Statuis Tabulas.
A te devictum se dicet Onufrius, a te
Smetius, & quisquis tale quid ausus erat.
Huc igitur vertatis iter juvenilia corda:
Pro toto vobis Orbe GRVTERVS *erit.*

P. SCRIVERIVS.

O quanti Heroes! quæ numina denique! certè
Non alio ferri clarior ore potes.
His quia me nebulam stellis adspargere cogis,
Gratulor, ô! studiis vir generose tuis.
Gratulor huic operi; nec enim Deus obruit, aut me
Lecta Prometheis dividit herba jugis.
Non ego me viduus nudusque per oppida ducor,
Ut cui eum docto nil Helicone foret.
Non ita: Pegasidas purâ colo mente Sorores,
Et Phœbum, sacris qui præit ipse choris.
Ite procul curæ, durum genus, ite labores,
Alterius non sit qui suus esse potest.
Phœbe fave; tuus hic uni tibi servit alumnus,
Utque tuus nunc est, sic quoque semper erit.
Ante jugo fortes submittent colla Batavi,
Sævaque dediscet prælia torvus Iber:
Quam mihi displiceat placidæ pellacia Musæ,
Sic ego sim rector temporis ipse mei.
Castra vocent alios, vocet Indus, & Africa dives,
Ipsaque aromatico terra Molucca sinu.
Sollicitentque alios tituli, sellæque curules:
Me vocet ad partes bibliotheca suas.
Hic ego securus dulces ante omnia Musas,
Cumque his DOUSIADEM IULIADEMque colam.
Teque colam GRUTERE, meus qui pectore toto.
Dispeream, totus ni tuus esse velim.
Sic opus æternum vivat quod mittis in ora
Publica, cumque illo tu quoque semper oves.
Plus equidem quam si Gætula mapalia victor
Traxisses forti sub tua jura manu.
Plus quam si rostrum, fractæque triremis aplustre,
Signa reportasses seu veterana domum.
Laureaque in gremium posuisses serta Tonantis
Arduus, ac niveis conspiciendus equis.
Macte animo, quem rarus habet, non barbarus Usenis,
Non Matho, non istud Curio præstet opus.
Non quivis alius tantos tolerare labores
Natus, at ingenii cura sit ista tui.
Illa per Ausonias Monumenta legenda ruinas,
Illa per imperium Roma legenda tuum,
Non mihi desultor studiorum colligat; olim
Non benè sic tantum perficeretur opus.
SMETIUS hic aliquis seu verò LIPSIUS esto;
Seu mage GRUTERI vis generosa mei.
† *Huic labor, ô vappæ, constantiaque ipsa laboris,* († Allusio ad Gruteri scitum: LABOR & MORS.)
Morsque adeò egregio parta labore placet.
Scruta juvent alios; hæc hæc Epigrammata IANUM
Non malè per longas detinuêre moras.
Hæc, inquam, Statuis & sacris eruta Cippis,
Nomina GRUTERUM detinuêre meum.
Pandectasque istas, Ævi Monumenta prioris,
Suspendit templo dia Moneta tuo.

Spissum opus, æternos sed quod promittat honores.
Nec juvat ex humili lecta corona jugo.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci,
Pingue solum lassat, sed labor iste juvat.
At vos Æneides, tumulis quos abdidit olim,
Et cineres isto Mors habet atra loco,
Gaudete; atque adeò (si quis modò sensus in urnis,
Si quis amor laudis, gloria si qua manet:)
Ite triumphantes; nam cùm tot nomina vestra
Deciduæ possit perdere casus aquæ,
Aut ederæ errantes, sterilisve ferocia fici:
Quandoquidem saxis mors sua quæque venit:
Nunc secura vigent victuris indita chartis,
CÆSAREOque hilari fronte recepta sinu.
Non ea nunc metuunt capri mala robora fici,
Non metuunt imbres horride dive tuos.
Juppiter irrident te, si fas dicere, pensi
Nec faciunt omnes quas jacularis aquas.
Tu licet impugnes impôstis orbibus orbes,
Marmoraque hæc medio quæ fugit umbra die:
Pyramidasque ausas vicinum attingere cælum
Tu licet assiduâ sternere labe pares:
Hic nihil efficies; magis ære perennia perstant,
Solaque non norunt hæc Monumenta mori.

ALIVD EIVSD.

ARMORVM LEGVM*que* PARENS *cùm subderet orbem,*
Imperiumque ejus jam sine fine foret,
Invidiam movit; nam cùm casa prima QVIRINI
Nil præter salices cannaque vilis erat,
Extulit alta caput, parvâque a sede profecta
ARX REGVM, *& nulli* ROMA *secunda fuit.*
Trux CRONVS *infremuit, nec tanta defuit ira*
LEMNIVS, *& gentis* MARS *pater ipse suæ.*
Incubuêre omnes, totamque exscindere terram,
Pyramidasque altas sternere cura fuit.
Non tamen ANNORVM SERIES, *non* FLAMMA, *nec* ENSIS
Æternum potuit hoc abolere DECVS.
RELLIQVIÆ *superant: sed quas quoque tollere* TEMPVS
In barathrumque IGNES, *vel dare* BELLA *queant:*
Ni vetet antiqui reparator SCALIGER *ævi,*
VELSERVS*que atavis non minor ipse suis.*
Ni vetet & Musis nobisque GRVTERVS *amicus,*
Qui legit intactas VRBIS *&* ORBIS *opes.*
Et nunc exit ovans STATVIS *comitatus &* ARIS,
Non uno quondam quæ nituêre foro.
RELLIQVIAS *dixi? debebam dicere* ROMAM;
Namque sub obtutus hæc venit ipsa tuos.
I nunc atque nega nostri TRIA NVMINA *sæcli*
TRES *quamvis summos, exsuperasse* DEOS.

IANVS DOVSA NORDOVIX
In Inscriptiones Romanas.

Quod faustum & felix, dias in luminis oras
Nobile GRVTERI *nomine prodit opus,*
Multa ferens Antiqua, novis accessibus aucta,
Per Capita & Titulos quæque tributa suos:
Relliquias LATII *veteris, decora alta Quiritum,*
Sparsa tot Archaicis ante voluminibus.
Gratulor hinc nobis & nostro gratulor Ævo:
Talis egens ROMA *urbs Vindicis ante fuit:*
ÆTERNA *illa tuo nunc primum effecta labore,*
Quæ se bis genitam *dicere Jure potest.*
Tota recens, & (quod cum verbi penè periclo
Dixero) GRVTERA Virbia *facta manu.*
Macte animi, Macte ingenii præstantibus ausis:
Perge age ROMANAE *consulere Historiæ.*
Nec tibi Municipes moveant fastidia Blenni,
Aut novitas sensus torqueat ulla tuos.
Ipse VRBIS *Dominæ pro te tot stare ruinas,*
Ipse vides pro te marmora muta loqui.

PANEGY-



Cui tantum Latium vetus et vetus Attica nota,
Patria, vel quantum nota cuiq domus,
Talis erat, tantum docto notissimus orbi
Quantum illi notus maximus orbis erat.

B. Vulcanius.

PANEGYRICI
IANO GRVTERO
SCRIPTI

A

BALTHASARE VENATORE.

ET

FRIDERICO HERMANNO

FLAYDERO.

VIRO GENEROSO

DN. PETRO DE VILLARS,

DOMINO IN ESTOY,

Patrono suo gratioso.



VIR GENEROSE, magis dubitavi, an hoc scriptum, quo laudes GRVTERI statim post obitum ejus interpretandas suscepi, unquam in lucem dimitterem quàm cujus nomini illud potissimum inscriberem. Nam postquàm hortatibus tuis, instante Clarissimo SPANHEMIO nostro, qui vestras utriusque partes simul agebat, contumaciam exui, facilè ratiocinatus sum munus hoc deberi suo SERVATORI. Sic autem ut te appellem res ipsa jubet, quandoquidem absque tuis stimulis fuisset, haud dubiè fœtum malè natum, quod fortasse melius foret, totum suppressissem. Timui enim, sicut alios, ita memetipsum: Alios quidem ut censores nimis accuratos & severos, quanquam etiam sine magna diligentia satis inventuri sunt, quod reprehendant: Me verò ut nimis ingenuum, & qui nec in regno oblivisci possum libertatis; tùm ideo etiam, quod ingenium meum nullo sibi placet successu, & expectationem propriam suo præjudicio premit. Ecquid etiam speres ab homine tam iniqui ocii, tam improsperi fati? De quibus ut existimare, & languori meo ignoscere possis, vide quæso superiorum annorum, & hominum furentium crudelissimam tractationem. Horreres, si captivitatem meam tibi curiosiùs exequerer; & tamen ipsa captivitas clementia fuit, cum cædem cogito in caput meum deliberatam. Periisse videbantur hostes, cum me fœdissimo squalori manciparent, ubi noctes atque dies exigendi erant inter mœstissima aliquot reorum suspiria, inter sordes incredibiles, inter angustias animi & loci: ubi panis saltem mediocriter esculentus pro geniali cœna, potus aquæ tantùm irrigandæ siti necessarius pro nectare fuisset. Superabat hæc omnia immane periculum, quod me profectò pessundedisset, nisi delinimentis omnibus in liberationis meæ consilium Commentariensem adduxissem. A quo tandem mei Juris factus, & compedibus ferreis, quæ tunc cruribus meis destinabantur, ereptus in fidem Patriæ confugi, sed & illic posteà tuli & vidi, quæ ferre, quæ videre solent obsessi & expugnati, famem, luem, pugnas, cædem, flammas, cætera sexcenta. Interim alibi Parentes optimos dolor animi morbo, morbus afficit morte, postquam priùs viderunt natalem nobis vicum trecentarum domuum incendio solidè periisse, mandante tristissimos ignes Protomysta Nemetum. Me, dum jugulator miles per totam urbem Palatinam, horrendum miscens barritum januas arietat, febris atrocissima consilio privabat & fugâ. Quantum tamen potui, invalidum poplitem exhortatus, cutem & ossa, quibus tunc solis cohærebam, vix multo labore, certè deficiente propè anhelitu per tenebras in arcem extuli. Ibi deditione factâ, nos multum torsit hostis, tandem tamen argento multatos exilii, per summam gratiam, compotes fecit. Tunc cùm nihil opis superesset aut spei, rebus omnibus exutus, militiam, sed apud amicos, sum amplexus, eoque sacramento rursum solutus, præter unicum illud ocium, quod mihi apud Amplissimum LINGELSHEMIVM, incomparabilem virum, contigit, variè sum jactatus, & indigna plurima tuli, serius ociùs, quod ominor, luenda auctoribus. Inter hæc continua propè mala si quis mediocre saltem aliquid gigni posse existimat, ita ut doctas aures tangat, non verberet, id ille falsò credit esse verum.

Habe igitur tibi, Generose vir, quicquid tu per eximiam benevolentiam, quâ me complecteris, dignum censuisti, ut in hominum manus perveniret. Aliorum judiciis planè non angor ampliùs, quia meum obsequium, in quo nunquam deliberare debeo, mihi fructus maximus est, quem privationi gloriæ opponam, quemadmodum Te quidem ipsum cunctis oppono iniquis. Nam profectò quod inter injurias diuturnas, veteres & recentes aliquantum respirare possum, tuæ benevolentiæ munus est. Tu me nondum visum ob lauda-

datiunculas, quas summus Amicus noster tibi instillabat, cœpisti primùm diligere, cum vidisses, audivisses deinde, totum affectum illum signis humanissimis ita prodidisti, ut succenseam illis, qui mihi persuaserunt hactenus, *Nobilitatem* & litteras nuper divortium fecisse. Nam nisi tu Artes illas, quæ nos tibi commendant, optimè calleres, nunquam tanto favore dignareris alios, qui mediocriter in illis profecerunt. Itaque quoties tecum sum, quoties colloquor, quoties illas insignes virtutes tuas intueor, Heidelbergæ inter PLESSÆOS, LINGELSHEMIOS, CAMERARIOS, RVSDORFIOS, PAVLOS versari mihi postliminiò videor. Quoniam illis ipsis excellentibus viris nec summa Nobilitas, nec gravissimarum rerum scientia aut cura impedimento fuit, quò minus humaniores litteras, & scirent, & in aliis amarent. Nam quicquid nonnulli studia hæc contemnant, & crudum illud doctrinæ genus solum extollant, hoc mihi pro compertissimo est, perpaucos dici posse, qui non, ut aliis artibus magni, sic his facti fuerint ornatiores. Quid autem jucundius est, quam confectis negotiis publicis, in equo, in cubiculo, in agro, ut tu soles, Epigramma in salsam, aut jocosam, aut amabilem aliquam sententiam acuere, aut longum versum stipare breviori, aut masculum spiritum animare in laudes Heroum. Et hæc miror vos pro minimis habere, cum facitis, & æstimare tamen, cum, quæ ab aliis facta sunt, legitis. Sicut autem corpus nullo colore vivido hilaratum, certè quidem corpus, nec color in eo præcipuum est: sed gratiam tamen multo majorem obtinet, cum illud accessit, quod oculos juvat, & sanitatem nunciat: Ita cæteras tuas virtutes dum hoc loco non dico, nihilominus intelligo. Respublica loquatur oportet, si quid te dignum debet afferri: Mihi satis nunc est in illis ornamentis hærere, quæ per se magna sunt, si tollatur respectus majorum. Nec extra argumentum nunc veniendum est illius beneficii, quo tu me privatim obstrinxisti, dum visus tibi sum dignus, quem familiarius nosses, & in hos ausus judicio tuo excitares; publicè multos, qui, quod GRVTERVM penitus amant, si non mea laudatione, saltem illius laudibus delectabuntur. Et hoc ipsum meæ gratitudini subvenit, quod dum GRVTERVS propter GRVTERVM hic legetur, non legi tamen poterit, quin tu legaris prius. Vale Vir Generose: Genevæ, Mense Augusto Anno M. DC. XXX.

Generoso nomini tuo addictissimus

B. VENATOR.

Ad Auctorem

PANEGYRICI GRVTERIANI.

HUmanas revocare animas & corpora letho,
Nec Regum, nec fit Cæsaris istud opus.
Ut sua GRVTERVS vivat post funera, fecit
Hæc VENATORIS pagina docta tamen.
Ista ævo spectare dedit miracula nostro;
Qui GRVTERVS abest, hic redivivus adest.
Quod mihi, si miræ prosint, quibus uteris, artes
Tu mihi VENATOR, Cæsare major eris.

PETRVS DE VILLARS.

P A-

PANEGYRICVS IANO GRVTERO SCRIPTVS A BALTHASARE VENATORE.



Ulla acerbior dies à longo tempore inclytum literarum nomen invasit, quam cùm nuper ingentibus meritis clarissimus Vir *Janus Gruterus*, variis studiorum ac cæteris vitæ laboribus exhaustus ultimam naturæ legem, ea parte, qua mori potuit, omnes autem elegantiores homines perpetuo sui desiderio implevit. Pro certo enim mihi persuadeo, quibuscunque in Europæ locis, ubi consummata eruditio æstimationem sui retinet, hic summi viri occasus ounciabitur (quid enim magnum diu siletur, cùm cœpit aliquando cessare?) tamdiu verba lugubria super nostro hoc funere longè, latéque auditum iri, quamdiu fama ullos inveniet, quibus hanc seculi jacturam recenti nuncio ad aures admovebit. Qui potentia, & magnitudine Imperii censentur, eorum quidem proprium hoc esse fateor, ut fortunæ suæ splendorem, dum vivunt, plurimorum oculis impingant, & ubi mortui fuerint, eundem splendorem in funere in ipso mortalitatis & vanitatis spectaculo non sentientes usurpare soleant: omnibus præterea veredis celeritas crescat, ne quod pauci, quos dies ejusmodi atratos fecit, domi sciunt, foris cæteri in quamcunque affectus speciem ignorare possint, cum hac ratione supremæ majestati consuli videatur. Verum ea res apud exteros fermè ad delicias tantùm facit, dum in cœtibus, in conviviis, in circulis, in tonstrinis etiam nova tali & adventitia narratione silentium redimendum, & per aliorum tristes casus ac nuncios delectationi serviendum est. Tolerabilis tamen etiam in hoc fructus esset, si non & optimi sæpe Principis finis tantus apud alios plausus excitaret, quantum domi & apud suos mœroris. Raro enim aliquis ingens de hoc genere hominum vitam relinquit, quin aliena cupiditas, cui hactenus Defuncti virtus obstitit, illa occasione improbius speret, aut æmulantis odium gratuito lætetur. Sed aliam longè & multò securiorem felicitatem sibi in his terris pignorant Heroes nostri, qui saluti rei litterariæ præsederunt, qui nullius avaritiam suis bonis accendunt, cum propria eorum possessio non in hæreditatem veniat, nec in naturam prædæ, qui nullius odium merentur, cum prodesse studeant universis, & studeant hoc unum. Ipsam adeo invidiam, virtutis perduellem eorum excessus, sicut olim vita, torquebit, & dolore interius confesso uret; olim quia omnia ex eorum scriptis discere oportuit; deinceps, quod his quidem publicè scribendi, ipsis clàm & ingrate discendi consuetudo interempta est. Jam & illud habetur discrimen, quod mœror hic judicium est, illic impetus, & admiratio rei non admirandæ, potentes etiam posse mori: pauci de virtute cogitant, aut detrimento posteritatis. Hic nemo luget, nisi qui doctrinam, sapientiam, virtutem aut amat aut sequitur, aut habet, quorum numerus etsi nec in Aulis nimis magnus, & in vulgo satis parcus, tamen ita magnus est, ita latus, ut porrigatur in omnes oras, ubi homines vivunt, ubi ulla bona disciplina instituti. Vellem equidem, quàm vetera exempla hujus orationis non desunt, ita recentia non superessent; vellem de memoria simul omnium, quibus ingenii divina, mensura ævi humana contigit, liceret in præsentia loqui, nec ad rem præsentem & ad solum nomen illud oporteret redire, quod quam olim libenter ac jucunde auribus & lingua usurpavi, tam nunc invitus attingo, non quia illud minus colam aut amem, sed quia dolorem nimis facilè irrito, & cum irritavi, ne dissimulem vitium meum, nimis molliter fero. Sed dolebo potius, Mi Pater, quàm ullum officium tibi denegem, & cum utique admirabilis eruditio tua, JANE GRVTERE, notior fieri non possit, cum ubique jam lugeans, saltem illa per me notiora fiant, quæ vel omnes non attendebant, dum tantum maxima spectabant, vel scire non poterant, cum tu non proderes, vel videre ipsi aut coram audire, cum longe locorum abessent, vel præclaras laudes tuas cunctas tenere, cum tu laudanda patrare non ante desieris, quam vivere. Gratum habuisti, Beate senex, hoc leve tributum vocis meæ, antequam hinc exires; gratum habuisti, si recte accipio illam præsagam epistolam tuam ad Amicum ut fide, ita cæteris virtutibus sæculo majorem, Amplissimum Lingelshemium. *Venatorem*, inquis, *saluto, & nunc vel singulariter alloquor impetraturus Epitaphium, si quid mihi humanitus contigerit.* Nihil interest, sermonem ego Epitaphium, an illud, quod proprie dicitur, an utrumque intelligam; nec amplius me examino, an idoneus ad tanti viri laudationem accedam, cum ad me accessisse videri possit, qui scripsit hæc verba; *Epitaphium impetraturus*, haud quidem ille fiducia ingenii mei; sed obsequii securus. Philosophus è Socratis disciplina apud convivium regale infimum locum premere jussus, non ignominiam sibi, sed loco dixit honorem accessisse; similem responsionem paratam habeo contra illos, qui forte inglorium GRVTERO duxerint aut dixerint, quod non majori eloquentiâ suæ posteritati ostendatur. Sicut enim Aristippus ille humili loco dignitatem fœneravit, ita amplissimum nomen Gruteri hanc commendationem sui ultrò satis superque poterit commendare. Hac igitur cura nunc quidem procul habita, ut tardius ad suprema illa, ad importuosum illum portum & æstuarium doloris nostri pervehamur, dicendi principium cum ipso principio nascendi connectamus, & ut tristem illam necessitatem rectius consolemur, repetito ordine cum GRVTERO prius vivamus. Eodem enim in hoc cursu proficiscor, quo superioribus annis, cum è patria in navim ejectus, sociatâ exulum turbâ, alterius terræ humanitatem suspirarem, & adverso flumine jam suggredientibus nunciarent riparum accolæ, edoctos de nostra adventatione Autolycos à Savo, & direptionem navi nostræ decretam, si venissemus ad eorum latebras. Ibi remedium nobis à simulatâ fluminis contumaciâ: hæsimusque non retenti, sed quasi retenti, ne prædonibus iter nostrum succederet, diuque abessemus ab eo loco, ubi pro nostro brevi cursu, non nostra vota fiebant. Nemo enim ad periculum suum nisi alienatâ mente properat. Nemo non ad tristia serus accedit, si locus & jus est differendi.

Inter ornamenta hominis, ad homines & hanc communem lucem emergentis primum Patriam esse sine impietate dixero, quoniam parentes quidem liberos generant, sed parentes nostros avos atavosque Patria ante generavit, è cujus velut sanguine geniti, cujus succo & uberibus nutriti, cujus sollicitudine educati sunt, qui nos gignunt, nutriunt, educant:

 quam

quam si quis exilem nactus est, jam eo ipso major sit, quod tantus ex tantilla prodierit; sin augustiorem, bis magnus est, sive quod illustrem ante patriam suâ virtute magis illustrat, sive quod se ipsum patriæ suæ parem fecit. Hoc altero modo etiam GRVTERVS sibi patriam, patria GRVTERVM obligavit. Sunt enim hæc mutua; tenentur & tenent, dando & accipiendo utramque paginam comparant. Civis meretur civitatem, & civem meretur civitas. Flos urbium Antwerpia tibi hunc acceptum ferimus, tibi hunc gratulamur, tibi decus tuum, si nescis, tuum beneficium, quo partem orbis meliorem obstrinxisti, asserimus! Quoties aliquis de laudatoribus tuis hanc urbem amplissimam, opulentissimam, pulcherrimam dicet, quoties agros, mœnia, arcem, cœlo, & arcibus æmulas domos, quoties Scaldim tuæ magnitudinis negotiatorem prædicabit, quoties & leges, & jura, & horum custodem ac vindicem Senatum extollet, GRVTERI quoque gloriam, si sapit, patriæ lucrifacere non obliviscetur. Profectò ut ingenui est animi, nemini suum intervertere, aut per invidiam aliò raptare, aut per eandem dissimulare; ita qui patriæ bonum & eximium virum asserit, talem se ipse probat, sapientemque Rempublicam testatur, ad cujus fontem alterius sapientiam refert. Nam sæpe ipsum ingenium, ipsos mores, ipsam bonam mentem, tàm à patria quam à parentibus haurimus, & quantum virtus in gloriam progreditur, tantum gloria ad originem sanguinis, aut soli regredi videtur.

In hac igitur urbe GRVTERVS non modo vitalem spiritum, sed etiam literarum amorem imbibit, in hac, inquam, urbe, quæ fœcunditate, cultu & honore quamvis ingeniorum matrem provocabit. Non enim, quomodo alibi sæpe fit, commercia & divitiarum studia, (quibus in Republica suus quidem locus, sed & locus est) sic tractantur, ut illæ artes vilescant, quæ ob id ingenuæ dicuntur, quod divitias si non contemnunt, saltem minimè quærant: Ita diversissimæ res uno in loco citra pugnam sociantur, labor circa opes maximus, & nullus; cùm in utroque necessitas insit, sed ut illa magis in oculos incurrat, hæc non nisi à sapientibus intelligatur, tam quidem ad Firmamentum Reip. valida, quam ad decus immensa. Infelices contra populi & obnoxii, apud quos illa res, quæ, præmonente oraculo, Spartæ quoque captivitati & exitio fuit, velut rerum salus & quasi numen quoddam placere cœpit. Non libera curia, non plebs; & dum omnes avaritiam, & avaritiæ instrumenta usuras fatigant, dum passim artes malæ adoptantur, abdicantur bonæ, supervacaneum habetur, quicquid lucro vanum, quidquid imperitia non vacuum. Ubi prope periculum est, sana scire, sana loqui: ubi habendi cura prope omnia facit, & quæ inscitiæ pœna est, cum ad rationes venitur, miseris illis satageis omnia desunt, miserioribus, quod tandem etiam liberalis fama, liberales cives, liberales animi, literæ ac literati deficiunt, nisi pridem defecerunt. Frustra in tali Republ. tu Ægidios, Grapheos, Masios, Wesenbeccios, Scotos, Ortelios, Gorleos, Gevartios, & alia nomina æternitati genita, vestigabis. At hi omnes (quod in honorem, & urbis, & talium virorum summa voce & ingentibus literis dicere, scribere, liceat) fuerunt aut sunt Antwerpiani, Antwerpiani & Cives Gruteri. Qui cum doctissimi nominantur, tantum videtur nostro honori accedere, quantum quisque ad ignominiam suam traheret, si patriæ gentem inertiæ aut stuporis, aut alia vilitatis nota audiret infamari, meliorem ipse conscientiam sui in suorum rubore confessus. Non enim majus existimantium est decus, optimum esse inter deteriores, quam inter optimos non deteriorem. Haud scio an aliud intellexerit Brasidæ Mater, cui oratores ex Thracia cum dicerent: *Filius tuus victor occubuit in prælio, pari non relicto apud Lacedæmonios, vos verò hospites*, inquit, *nondum rectè, ut video, nostis Lacedæmonios.* Dubites an temperavit magis laudes filii cæteros collaudando, an magis auxerit temperando. Sed quid ego de GRVTERI patria tam multa? Cui ne gratiam quidem habendam alii forsan putarent, qui scirent, GRVTERVM non longo intervallo hanc & adspexisse, & respexisse, cum eum Natura in Patriam, Patria mox in exilium misisset, quasi qui nondum culpam mereri poterat, propterea puniretur, quod natus esset. Verum nec ipse necessitatem hanc querulus objurgavit unquam, aut cum tempore præterito expostulavit, ne cum inhumaniter esset exturbatus, inhumanius faceret, si nutrici, quamvis brevissimè irasceretur. Potius hoc illi se debere agnoscebat, quod maturè humanis casibus traditus, familiaritatem cum ærumnis vitæ statim puer contraxit, & quantò citius ad eum calamitates, tantò citius ille ad consuetudinem pervenit. Cum enim nihil magis torqueat mortales, quam malorum novitas, bene cum illo agitur, qui tunc incipit, cùm & cæterarum rerum, & hujus novitatis nullum est judicium, ut tunc, cum Judicium cæterarum rerum contigerit, hujus nullum esse possit, quia diu incepit, & quando inceperit, vix recordatur, & quando recordatur, laboribus suis fruitur. Felices multorum essent liberi, si non essent felicium; si non intra cubilia nati, educti, instituti, solam copiam, beatum victum, cultum mollem, verba blanda, vultus indulgentes, sine famis, sine nuditatis, sine interdicti, sine potestatis alienæ notitia discerent aspicere, amare, habere: qui dum laneis fortunæ manibus sic tractantur, non aliorum miseriis indolescunt, neque suis, dum Felicitas in malam syllabam erescit, nisi cum maximo tormento animi tolerare possunt aut ipsi propter querelas tolerari. Longè aliam vitæ rationem expertus est GRVTERVS, & GRVTERVM longè alium experta est vita, in quam quidem sic venit, ut exilium brevi, certè prius ferret, quam intelligeret, aut ita intelligeret, quasi non aliter vita constaret. Juxta ipsi & pœna & culpa ignota erat. Non sentiebat, patrem nihil meritum esse, nihil matrem, nihil se: Sed tamen quasi sentiret, puerili securitate, quæ viros etiam innocentes decet, parentes comitabatur. Fuit tunc illud tempus, cum *Margareta Parmensis* nomine Regis Hispaniæ Belgis præesset, & variò Provinciales fremerent, quod alios religio separata faceret invisos, alios sua, & Regis feroces; eaque res diu certata, donec à parte potentiori successus in iram, ira in vindictam; hæc cum in alios, tum in Antwerpienses tam diro proscriptionis carmine prorumperet, ut certa salutis & fortunarum pestis omnibus immineret, quicunque aut dicto aut facto aliquo displicuissent. In damnatorum numero inventus erat GVALTHERVS GRVTERI Pater, ne matre quidem, quod paucis fœminarum contigit, ut in Nomenclaturam funestam & ipsæ referrentur, exempta. Cæterorum causam prætereo, cuique sua relicta fiducia. GVALTHERVS jam ad nos pertinet, quem licet à sententia liberare jam serum, ab infamia tamen sententiæ liberare non est serum, nobis autem hoc loco tempestivum. Nec deceret, eum, qui ad damnationis memoriam venit, non etiam venire ad compertam defensionem. Esset enim hoc magis filio patrem exprobare, quam filium propter patrem laudare. Crimen universorum celebratur *Societas*. At GVALTHERVS abstinuit ab ipsis scopulis, & turbulentum hunc campum omnem de industria fugit

Expers nequicquam belli, neutra arma secutus.

Sed nequid dissimulare velle videar, prodam quod objectum est facinus, & prodam paucis. Ausus est precari. Subscripsit Nobilium libello, & hoc accusatur, quasi Majestati preces offerre sit majestatem violare. At Matris etiam crimen dicendum est. Imo dicemus, & id ipsum spero, dum nominabitur, faciet innocentem. Venerat absente Marito in ejus ædes Homo suspectus, & venerat hospitii causa, venerat illa invita propter suspicaces, venerat illa reluctante, & ad mariti absentiam provocante. Sed cum homo parùm de alterius periculo cogitans non pareeret solicitudini matronæ, statim Calumnia, quæ centum oculos habet, centum aures, centum linguas, omnibus suis instrumentis usa, quis advenerit cognoscit, & quare advenerit interpretatur, & quare illa receperit, comminiscitur; omnia verò in eam partem, tanquam receptus ille, vel potius receptor ille sui, & matrona receptrix, quod & ipsum falsum nomen, ad divina celebranda, sive, ut illi vocabant, ad turbas meditandas, domum operamque, sibi mutuò locassent. Ob has igitur causas GVALTHERVS & Uxor inter proscriptos, GRVTERVS cum proscriptis, inter proscribendos, quippe innocentes, nunquam fuerunt; quod ideo relatum est, non ut veterum gestorum rationes è situ excitem, sed ut multis aliis exemplis & hoc contribuam, non semper culpa non carere, qui patria

tria carent. Cœpit tum GRVTERVS ab urbe deduci in urbem, in orbem, & rerum humanarum theatrum, ut multorum ſpectator fieret, & ſpectaculum ſui. Nondum benè patriam noverat, tanto faciliùs poterat obliviſci, ſed tamen cum illa relinquenda eſſet, adverſitatis ita capax jam erat, ut intelligeret, commodius non relinqui. Sentiebat enim invitos parentes abſtrahi, dum illorum æquum animum aliquando ſuſpirium corrumpebat. Cur non ei in mentem veniſſet, eos, qui tam gravia ſuſpirarent, gravioribus haud dubiè ceſſiſſe. Cœpit igitur GRVTERVS in contemplationem & conſpectum vitæ humanæ propius adduci, cœpit communi ſorti domeſticus fieri, & cùm paternam domum relinqueret, nullam certiori ſpe præcipiebat, quàm magnam hanc domum, in qua omnes degimus, aut illam parvam, & navigationi textam, in quam ſe charasque ſarcinas parentes conjecerant. Imponebatur enim elemento inſtabili & ventoſo, cujus naturam velut fortunæ ſuæ germanam aſpiceret. Vidit pericula in periculorum effugio, vidit aquas & auras initio ſibi, poſt non multo Proſcriptori velle, & quaſi fidei pœnituiſſet, proditionem moliri. Apud Valachrorum enim inſulam ventus quaſi cum adverſario conſpiraret, ita contra ſpirabat, redditurus eos, opinor, in ea loca, quorum ſe poteſtati & iracundiæ abſtuliſſent. Itaque tum conatus ventorum ſiſtendus erat anchoris, & in proxima deinde terra exponendum totius navis exilium. Ita mox terris aquæ, mox aquis terræ multabantur, ſed non perinde fortitudinem animi & conſtantiam eſſe mutandam didicit GRVTERVS exemplo parentum. Mater quidem (præponam enim hunc ſexum debiliorem, ut de firmiori creſcat exiſtimatio) qua mentis altitudine, qua negligentia ſuæ fortunæ inter illas anguſtias locuta eſt? Summovit, inquit, jam veſpera diem (ſummoverat enim) *Repetamus domum.* Navem autem dicere voluit, & voluiſſe hanc dicere, poſtea marito indicavit, qui ſimplicius hoc verbi, & revera de domo ſua Antwerpienſi acceperat. Quod alius miſeriæ ſuæ ſpecum, latebram, ſtabulum, carcerem, ludibrium ventorum appellaſſet, hoc fœmina generoſo ſpiritu *domum ſuam* vocavit, ſive jam dicemus errorem fuiſſe, mirum eſt in malis verbum tamen Felicitatis prævertiſſe, cum alioqui fortunæ ſuæ titulos quilibet nimis etiam memoriter teneat, nec videatur calamitatem ſuam magnifacere, qui alienis vocabulis uteretur, ſicut nemo putatur ejus rationem habere, cujus nomen ignorat: ſive ſtudio loqui ſic voluit, ô fœminam nequaquam muliebrem! Dolium aliquis è Sapientibus olim pro domo habuit & habitavit, ſed haud ſcio, an ſordium merita ſugillatione. Nec enim qui præter neceſſitatem migrant in haras & ſqualori vitam mancipant, eoſdem ſapientia præſtare dixeris, ſed illos profectò potius, qui mediocria diligunt, quam mendica, qui culcitram ſomno, catinum cibo, poculum potui, tectum & textum corpori non negant, ſed & his omnibus quoties carendum eſt, æquo animo carent, viliſſimis utuntur tanquam quotidianis; qui denique cum Matre *Gruteri*, quando naviculam intrant, dicere poſſunt, *Eamus domum.* Nemo verò dicere hoc poterit, niſi qui aliquando domum coluerit, ut naviculam. Quandoque in terris quoque mare eſt, & fluctus & naufragia, quæ cum tumultuari bona fide cœperint, tam neceſſe ſit & conſultum è terris ad mare, quam ex hoc ad terras confugere, ſimulac periculum certa ſigna miſerit. Quantum hæc fœmina abeſt ab eo, qui ſe MVNDANVM dixit? aut quid eam reſponſuram fuiſſe credimus, quæ domum vocavit, quicquid pro domo coluit, Amphibion animal profeſſa, ſive quod idem eſt *mundanum.* Hoc igitur matris exemplo teneras GRVTERVS aures, patris vero diſcrimine præſens ſpectatos oculos etiam erudivit. Cum enim hic ſciret, illic nondum exilium eſſe, quibus partibus exilii regnant auctores, & poſſe pro malis reperire peſſima, qui non omnibus modis machiniſque copiam ſui longè portaret, cumque comperta res eſſet, odium delectum habere præcipui ſexus, illumque, ceu *victimam eximiam*, ut veteres loquebantur, depoſcere ſolere, ſuis quidem diſſimilitudine periculi fretis, & navem repetere juſſis, operoſioris profectionis artem ſibi accerſendam credebat. Placuit igitur, quod multis ſæpè cordatis ſaluti, ſuſpectam locorum fidem fruſtrare, & mendicitatis habitu notitiam ſui excæcare, quibus ornamentis abſconditus, & humeros Agreſtium mercede pactus, paludes, quæ ſunt inter Caletum & Inſulam, transmeavit lætus illo portu quaſi tranquillitatis. Sed in ipſa Caleto injecit ei manus alia ſævitia nullis veſtigiis præſcienda. Cum enim apud hoſpitem publicum ventos utiles expectaret, atque interim ſimul peregrino alio amœnitatis cauſa muros circumgrederetur, illiciti tam ignarus, quam ſuus Comes; illico milites adſuerunt, qui prehenderent, ducerent, & jam tenebatur uterque certa carceris deſtinatione, ac jam conditus erat, niſi captivitati tam repentinæ, nonnemo de Magiſtratu, qui per eandem civitatis viam accedebat, interveniſſet GVALTHERO dimitti juſſo, quippe ſibi (ita ajebat) noto. Quod abſque numinis cura ſingulari factum eſſe nemo exiſtimabit, ſi & illud adſpexerit hominem illum beneficum GVALTHERO nunquam vel prius viſum, vel in ipſo facto agnitum, vel ab ipſius vindiciis ad ſupremum uſque finem alio nomine cognitum quam *ignoti liberatoris.* Non didicerat GVALTHERVS alienæ civitatis leges, ignorabat alibi muros hactenus ſanctos haberi, ut ambulare juxta nefas eſſet. Nondum nocens, jam reus erat, nondum delatus, jam abſolutus. Nondum judicem, jam è judicibus amicum habebat. Vix diſtinguere poterat injuriæ & beneficii tempus. Cuncta mira, ſed hoc magis mirum, quod qui dimitti juſſit, nullo pronunciavit argumento, niſi quod hunc noviſſet, eamque cauſam cùm probaſſet cuſtodiæ militum, nondum probaverat ei, cui voluit prodeſſe, utpote ſalutaris, quàm familiaris magis oculis ejus oblatus: maximè verò mirum quod qui præclari beneficii auctorem tota vita memorabat, ſemper tamen, cui gratias ageret, ignorabat. Nihilominus & ille ſe noviſſe rectè dixit, cum in vultu liberali quaſi quandam boni viri inſcriptionem prælegiſſet; & Hic non noviſſe, cùm, quem quis non niſi per beneficium novit, hoc magis ignorare ſibi videatur, quò flagrantius nomen ac cætera illius pernoviſſe deſiderat. Hac viciſſitudine perfunctus GVALTHERVS in Britanniam trajecit, ſede capta Norwichi, quo in loco comitatem partim ipſo civium ingenio natam, partim ſuo ipſius nutritam tantis ſenſit argumentis, ut Caleti, quod in uno expertus fuerat, id hîc tulerit ab univerſis, non quidem carceris illic injuriis ſubductus, ſed poſt capitalem hoſtium malevolentiam benigniſſimis horum animis & ſtudiis refectus.

Non opus fuit dubiis precibus Magiſtratuum faſtidia mollire, vel hoſpitalitatem expugnare blanditiis, nec audire perfugii cauſas malefica interpretatione corrumpi, & multis repulſis triſtiores pati aſſenſus. Receptus eſt, ut in parentum, fratrum, agnatorum fidem nulla locationis formula, ut pro communitate cœli vel aëris penſionibus reſponderet, facultates inter amicos & inimicos partiturus, dum quæ migrari non poſſent, prædæ relinqueret, quæque migraſſet alibi ſtillicidiis annuis vel trimeſtribus (ſcio enim ubi hoc moris ſit,) ad fiſcum transferret. Sed major illis animus, quam ut cauponarias mercedes poſcerent hoſpitem, & mitior, quam ut vectigalem facerent exulem, omnino verò ſic affectus, ut hanc per omnia civis loco haberent, niſi quod gratuitus & immunis eſſet, humanitate illa à populo quoque vehementer approbata, quod nemo per invidiam queſtus eſſet, his aliquot capitibus anguſtias fieri caritati vel annonæ, nemo proquiritaſſet, urbi, propter paucos alienigenas vel ut mole nimia laboranti ſanguinem mittendum videri. Uſque adeò nullum fuit peregrinitatis odium, tota deteſtatione converſa in eos, per quos non licuit non peregrinari. Honor autem ſic communicatus, ut intelligeret univerſos, ad oblivionem retromalorum ipſi medicinæ, quantum fieri poſſet, efficaciſſimæ veluti ſymbolas conferre. Non ſciremus ſupra alios dilectum fuiſſe, niſi, quod cæteris Belgis id loci factum non eſt, huic ſoli feciſſent; Unus enim hic de popularibus ſymphoniam ſublucanam, quæ Nortwichi per tempus æſtivum præcipuorum civium domos obibat, horis conſuetis participavit, cum Civitas optima reliquis peregrinis humanitatem quidem omnibus, huic & amœnitates ſuas nuncuparet, tanquam parum eſſet, ſi civis, niſi & inter præcipuos foret, parùm, ſi inter præcipuos, niſi & quotidianâ prærogativâ ei oſtenderetur, ſed parùm & hoc, niſi poſt nocturnam ſtatim quietem cantiones velut ſuaſorias ad ædes aureſque mitterent, ut in diem quoque curas triſtiores, quæ extorri-

torribus nunquam desunt, exuere, neque pejus vigilare, quàm dormire, sed utrumque tempus ita peragere vellet, ut solent ii, qui se inter amicissimos cives versari noverint. Pacis enim & concordiæ nomen Musica est: nunquam per hanc odii nuncius expeditur, aut damni aut injuriæ, sed amor hanc invenit, amor hanc celebravit, amor absolvit, nisi quod honor quoque dignis reddendus, qui tamen ab isto fonte manat, humanam vocem sollicitavit. Quorum & hoc & illud GVALTHERVS tam bona fide, tam bona copia inter Nortwichios accepit, ut dignum putaverit, quod repetitis narrationibus memoriæ suorum penitùs imprimeret, quod filius præcipuè edisceret, quod ille nobis dictaret, nos auribus vestris & posteritati traderemus. Et fortasse aliis nimis multa videor dixisse de Norrwichiorum comitate, mihi verò nondum satis, quippe summas delicias in facti tam benigni reputatione invenio, neque invenirem tantas, nisi comparata quorundam in exules crudelitas, inæstimabilem redderet hanc, de qua loquor, virtutem. Fit enim ingens ingenuius bonum, si discas à contrario ingente malo. Et profectò paucissimis in locis tam fausta cantilena, qualis hæc apud Nortwichios fuit, exulibus & peregrinis indulgetur. Multas inauspicatas, inimicas & arcentes aves mortales illi ubique fere nanciscuntur, nullas tamen infestiores hodie, quam quæ de suggestu diris ominibus regnant, & populares animos odiis asperant, quos vetus Augurum disciplina ignoravit, nisi, quia de summo vocem mittunt, *Supervaganeas* cum antiquis appelles, aut picarum generi adscribas, quodam collegio naturæ, quoniam utrisque par insolentia, quàm illis fabulæ tribuunt, par conviciandi & obtrectandi libido.

Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.

Dicam clarius; Sunt nonnulli (absit enim ut omnes eadem censura vexem) & in ipsa matre nostra Germania de sacro ordine homines sacerrimi, qui velut divinarum & humanarum rerum judices atque arbitri tanta confidentia partem illam, quam nescio quis optimam & pessimam dixit, exercent, ut quidvis in quosvis nullâ curâ, verum an falsum intemperanter effundant, auresque & fidem Vulgi ignobilissima captivitate damnent & servitute. Aliquis ipsis non dedit? Avaritia: non scrupulosè satis honoravit? arrogantia: non laudavit? ambitio: non rudis est? invidia: non assentitur? Inimicitia: malum morem tangit, tùm verò capitale odium eos facit disertos. Omnes virtutes unius virtutis compendio possidebit, quisquis illos omni ratione placare studuerit; turpissimus etiam pretium merebitur, si noverit modos gratiæ apud ipsos quærendæ, tuendæ. Bonis, quorum nec mens, nec lingua, nec vita servit ostentationi, sed veritati, qui non plausum pietaris, sed pietatem sectantur, nulla difficilior res est, quam se talibus probare. Hi contra bonos omni telorum commento pugnant, maxime tamen illo, cujus aciem Thearidas in suo gladio laudavit. Charitatem mutuam commendant, & nihil charius habent odio: Odium damnant, & nihil exosius habent charitate, quippe qui sibi non constant, & quod rectè præcipiunt, malè ipsi temerant, tantoque pejus, quod hic quoque sæpe principatum petunt, ut quibus solis licet publicare officia vitæ, solis etiam liceat vivere præter officia vitæ. Dei præceptum est, & præceptum sæpius; Peregrinum ne quis malè tractet, ne quis affligat: In cœlum enim meare gemitus eorum, & à Domino demeare vindictam. Scio tamen, ubi peregrinos nemo magis infestet, nemo magis furca expellendos clamitet, quam quidam de cœlestium illis consultis, de sanctitatis illis satoribus & statoribus, qui cum jussiones divinas non ignorent (etsi multi ne hactenus quidem profecerunt) nihilominus sic efferantur contra hospites inculpatos & præter propter speciem pios, ut si per illos staret, haud scio an Taurica sacra facturi sint, & qui hoc una cum ipsis quam vehementissime voluerit, ille demum divinus habetur & sua dignitate dignus.

Proh superi quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemque a crimine sumit.

Sed ego Nortwichio longius sine GRVTERO discessi, & quidem ad hos *Ætnæos fratres cælo capita alta ferentes*, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere non est, *relegens errata retrorsum littora* ad Icenos nostros denuò me vertam. Eo loco GVALTHERVS agens tales amicos nactus erat, ut facile, quam à Fortunâ acceperat plagam, falleret, talem verò animum ipse inter adversa custodiret, ut tantum a vilitate sui abesset, quantum aberat à vanitate. Per illud enim tempus Legatos à fortissimo Principe Auriaco tunc ad eam civitatem missos (inter quos erant *Levinus*, *Calvarenus & Gerdens*) è diversoriis publicis domum suam traduxit, volentesque volens recepit, ut palam esset nihil degenerasse egregium pectus, quod hospites tantos in aliena civitate sibi vindicaret, nec fuisse aliquando sine auctoritate, in cujus domum auctoritas publica migraret, nec ipsam domum sine splendore, quam vir tam generosus habitaret, legati non spernerent, Senator (is fuit *Sutertonius* Christophori frater) habitandam præberet: Post non multum annorum tamen relicta Britannia Middelburgi consedit. Middelburgum deinde rursus Antwerpia mutavit sub illud tempus, quo successus voluit Ordinibus, ut arcem suis præsidiis occuparent, prius tamen à Senatu publicorum munerum vacationem impetravit, non odio quidem laboris, aut ignobilitate mentis, sed ambitionis fuga, sed quod inter æmulationes temporum calumniis innocentiam præbere nollet. Deinde verò cum Alenconius in spes vanas, & parem eventum ruisset, immunitas illi continuari non potuit, sed quia Magistratum imprimis Religio, nec alium magis dexteritas tunc commendabat, GVALTHERVS vici sui magister delectus est; cui muneri minùs gravi successit deinde gravius, cum *Parmensis* obsidionem fecisset. Rei namque frumentariæ quatuorvir, collegis Aldegondio, Lesdale & Rosa, adscitus in partem gloriæ illius mittendus est, quod annonæ conscientiam sic inter paucos septam tenuissent, ut citra deditionem nec civi, nec hosti constare posset, tantum tridui frumentum superfuisse. Quod secretum in obsidionibus adeò necessarium est, ut sæpè maximum momentum belli consistat in artificio tegendi, ne vel domi civis, vel obsessor foris intelligat, quid urat obsessos. Nunquam statuit trophæum in bello, qui necessitates omnes foràs vertit. Quanquam me non piget Filio, cujus causâ hoc agitur, prætexuisse patrem, quandoquidem hoc etiam GRVTERO gloriæ ducetur, quod Patris virtutes primo secutus, deinde additis variis ornamentis easdem fuerit supergressus: tamen unicum tantum, quod animo nunc suggeritur, ut agmen claudat, subjiciam.

Pater cùm post pacificationem Gandavensem Middelburgum concessisset, Valono milite Flandriam depopulante, dum annus ille cuncta sursum versat ac deorsum, civis quidam lautus, fortunis in compendium auri contractis, eodem profugit, & Gualtheri domo, quæ tunc contra Civicum erat, perrogando reperta, protinus ad eum ingressus, salvere te jubeo, inquit, Patrone, & nunquid Gualtherum Gruterum, qui nuper in Anglia? Ajente nostro; licet, inquit ille, hoc quicquid est Hippoperæ custodiæ tuæ mandare? annuente nostro iterum, dat, abit, nullo teste proviso, nullo syngrapho: Gualtherus, qui hominem redirurum putabat, si vespera mercatui supervenisset, depositum in priore parte ædium proximo paxillo suspendit: sed cum hospes nec illo die, nec postero, nec posterum sequente reviseret, & pondus depositi interim animadversum alium locum suaderet, transtulit illud Gualtherus in arcanum studiorum. Alter post anni quasi sextantem demum ad conveniendam peram suam reversus, cùm alveum illum aperiret, viginti quatuor *duplones*, ut vocant, Isabella-Ferdinandicos GVALTHERO præmii vicem offert, quod, dum ipse per Brabantiam Artesiamque nominibus suis appellandis abfuisset, non molestum habuerit peculium relictum custodire. Sed mercedem GVALTHERVS recusavit, satis suâ sibi conscientiâ muneratus. Utramcunque partem aspicio, virum bonum adspicio; Dant, reddunt invicem; nec ille fidem hujus scripto vel teste munit, nec obsequio hic mercedem capiat. Alter credit simpliciter famæ, alter præstat simpliciter virtuti. Non tanti fuisset fortassis hanc quoque rem per se non nimis magnam referre, nisi bonus mos semper produceret infamiam mali. Audivi sæpiùs è grandævioribus, olim qui pecunias invicem & contractus exercebant, nudâ verborum sanctitate convenisse, nec minus ideò securos fuisse, aut magis fefellisse: sin etiam volun-

voluntates aliquando mutuas stylo conderent, factum id non tàm ut necessitatem servandi sibi, quàm posteris memoriæ diuturnitatem stabilirent. At præsens ætas quantum in pactionibus sudat? quantis anxietatibus non credit, cui credit? quanto molimine syngraphas struit & obligationes? quoties interpolantur verba, resinguntur, limantur & limitantur? Hoc addendum, illud detrahendum, hoc captiosum, hoc obscurum est, hoc nimis laxum, nimis angustum est. Tum vero, cùm in clausulam definendum est, basilicas edictiones adscribunt, ipsi juri, quasi illud quoque fraudibus advocet, contra se ne jus sit, volunt, jubent. Quod profectò non aliter fit, quàm si virum bonum negent, cujus fidem tot indaginibus & laqueis & notis includendam putant. Nunc ad JANUM ipsum GRUTERUM paulò propius gradum tollamus. Is sicut rebus duris Constantiæ Doctores utrumque parentem, ita Matrem præcipuè studiorum magistram votum simul Agasiclis consecutus est, ut eorum discipulus diceretur, quorum & filius esset. Mater enim præter Gallicam, Italicam, Britannicam linguam, Latinas literas optimè, Græcas ita callebat, ut & Galenum, quod millesimus Medicorum vix solet, lingua Galeni legerit. Usitatum nempe fuit illo tempore, generosiores ut familiæ literas eum quoque sexum docerent, quem disciplinis antiquissimi mortalium vel præcipuè videntur consecrasse, cùm uni duntaxat juveni laureato, nempe Apollini, novies verò totidem puellis Eruditionis numen & majestatem detulissent. Nec opinor, sapientiæ partes antiquitas mulieri in tanta Deorum abundantia tradidisset, si quemadmodum viris olim bonæ Deæ, sic mulieribus studiorum sacra adiri nefas haberetur. Adierunt olim & obierunt hæc sacra *Cornelia Gracchorum* Mater, Hortensia Quinti, Lælia Caji filiæ, sed & aliæ complures, quæ literas olim exactè calluerunt, quæque nunc à literis coluntur & æternantur, nullo magis immortalitatis collegio dignæ, quam hujus nostræ *Catharinæ Tishemiæ* (Matrem GRUTERI dicimus) quæ licet ingenii partum nullum, nec eruditionis pignus reliquerit, ut memoriam sparsiorem nunc haberet, sicut veteri ævo nonnullæ inclaruerunt, nihilo tamen minus famam sibi doctamque posteritatem meritis tantis obligavit, quanti ipsam GRUTERI gloriam taxamus. Non enim tantum, quod cæteris matribus commune est, summis naturæ dotibus filium genuit; sed ipsa quoque, postquam puer capacitatem promisit, suæ materiæ adfuit, & indolem blanditiis salutaribus adulata, *Discere*, rem pulcherrimam, *Scire*, jucundissimam vocavit, ex literis sapientiam, ex sapientia virtutes, ex virtute vitam beatam & vitam quandam post vitam comparari crebrò illi dictitavit. Deinde eum libro admovit, literarum formas & nomina docuit, legendi, scribendi, memorandi rationes tradidit & exegit; primam balbutiem Latina Græcaque consuetudine imbuit, quibus ex fundamentis hoc virtutis & honoris templum JANUS GRUTERUS surrexit.

Quod non Imber edax; *

Nec inficiandi tamen sunt illi, quibus in operis hujus nobilissimi architecturâ proximus à fundamentis locus & labor fuit, quique merentur, si quid mei judicii est, ut non minus quàm cæteri artifices suum illud FECIT specimini tam excellenti subscriptum habeant: atque mihi profectò imprimis honestum videtur, si *Ysbrandus* aliquis Tralus Frisius, aliquis *Petrus Everhardus*, aliquis Matthæus *Ryquius*, aliquis *Richardus Snalius*, pædagogi & præceptores GRUTERI legantur, quos quidem an satis extersis oculis, & ut nulla litera fallat, è quadam charta cariosa non nisi bonis conjectoribus legenda produxerim, præstare non possum. Forte una litera pro altera capta nomen paulò aliud factum fuerit. Quid tum? Malui nolens hanc levem, quàm volens illam insignitam GRUTERO facere injuriam, ut quos ille vel ad memoriam suam privatam, vel ad hanc publicam per summam pietatem consignaverat; ego per impietatem alteram tantam silentio obliterarem, simul tacito GRUTERI mandato, simul illorum præmio defuturus. Ac sane maximum Poëtam non pilo minorem factum credimus, postquam Grammaticis *Penitus mastas exedit cura medullas*, *Virgilius an Vergilius* dicendus esset, quod damnum si fuerit in his quoque nominibus aliquod simile, tale tamen futurum est, ut plus sit integri, quodque cognosci possit, relinquendum. Sed officium meum videtis. Hos igitur adolescentiæ suæ GRUTERUS Informatores, studiorum vero quendam velut campum Martium nactus est *Britanniam*, in Britannia *Cantabrigiam*; Cantabrigiæ *Gunevelli*, quod vocant Collegium, & *Caji*. Nam & in hoc aliquando migravit nulla alia magis causa traductus, quàm quod *Georgium Thoum Schendium*, juvenem moribus summè rectum, nec ulla procacitate pluribus similem, modestiâ vero paucis æqualem, familiaritatis voto consectaretur. Is enim talis jam priùs erat in familia *Gonvelli*, nec tunc primùm in amicitia GRUTERI, nec solus etiam vel unus, quamvis unicus. Reperio enim *Christophorum & Gulielmum Heydonios*, *Philippum Wodhæum*, fratres *Strangeos*, *Collegiorum*, quæ Trinitatis & Christi vocantur, ibidem familiares, qui GRUTERO per mutuam notitiam & charitatem non obiter respondebant, tantùm diligentes & dilecti vicissim, quantum virtus & honestas animorum possunt mereri. In hac officina literarum, inter hoc studiorum amantissimos rivales cum GRUTERUS ita adolevisset, ut jam non annis, quàm doctrina major esset, satis sibi visus est vidisse Britanniam, totoque animo, quod Insulam & Germaniam interest, navigabat, ut Lugdunum in Batavis, literarum & armorum celeberrimam palæstram visendi, discendi, salutandi causâ transiret, si tamen prius Hospitis majestatem scriptis aliquot Epigrammatis ad maximam post natum Reginarum nomen, Reginam veneratus esset; sed offerendi cum non daretur occasio, fecisse satis habebat, gratitudinis suo sibi proprio testimonio contentus, quod cum in aliis rebus nihil agere credatur, apud conscientiam maximas causas decidit, & sæpe piæ voluntati acceptæ solutionis apocham reddit. Postquam deinde sine studiorum Automedonte *Leidam* pervenit, à diligentia quidem nunquam deflexit, sed à vero fructu tantum, quantum ab auspiciis boni Ducis. Temporis illi ratio constabat, operæ pretii ratio non admodum constabat. Usque adeò multum nocet ante sui juris, quam sui judicii fieri. Sicut enim puero si nummos, & potestatem tractandi dones, non has ille quidem suas opes abjiciet, aut objiciet gratis alteri, poterit etiam impensas nominibus mercium indicare, sed ut præcipua capita sint, aut dulcicula saccari grando, aut nuces in foro, aut (quæ ludentium suppellex est) è marmore volubiles, aut e tomento missiles pilæ, aut quicquid hæc ætas præ magno Græciæ mercatu æstimabit: ita GRUTERUS postquam tempus in potestatem accepit, de diebus & horis non quidem largitiones populares ocio & ociosis fecit, quod simplicius tempus perdere vocamus, sed illos aliquot annos ita consumsit, ut inter nobilissimi, fugacissimi tamen boni velut æra quædam numeraret, imprimis quod Poëtis, quod Poëtarum fabulis, quod fabulosis historiis dedisset. Quicquid hujus aut Gallus Gallicâ, aut Italus Italicâ, aut Britannus Britannicâ linguâ meditatus erat, GRUTERUS ita totum legit, ut nihil in hoc genere esset, quod non legisset, nihil autem legisset, unde non elegisset. Artificiose inventa, prudenter monita, acute dicta, suaviter ornata, statim animo, moribus, stylo impressit, cùm & ipse jam tum invenire, monere, dicere, ornare similia, similiter didicisset. In quo genere quantum istis monumentis amœnitatum debuerit, quantum deinde sibi, testantur carminum felices proventus, quibus nullæ omninò venustates desunt, nisi quod nullæ desunt, & copiâ fortassis elegantiarum (si modo aliquod bonum nimium est) laborant. Non specto jam illud præcipue, quicquid in Latinis poëtatus est, nusquam ille quidem se minor, sed speciem quandam Epigrammatum intelligo, quæ in versuum certum numerum jurata plures non admittunt, & in horum fine quatuor imaginibus respondent, intersonantibus iterum diversis aliis, quæ se longius invicem jubentur exaudire, Gallorum, ut arbitror, inventum, quorum & vox est à Latinorum *sono*, quia in illis aliquid *sonet sonorum* corrupta, idque factum postea imitamentum Belgarum, & nuper Germanorum, per OPITIUM nostrum magnum illum talium delitiarum *Apitium*. Hujusmodi Epigrammata GRUTERUS patrio sermone quingenta amplius sub illud tempus scripsit, & ea *Philippo Marnixo*, *Jano Dousæ*, *Jano Hauteno*, qui nasum & aures & dextram dexterrimam in hac arte scribendi tunc habebant, miris modis approbavit. Approbabunt etiam nobis hunc genium GRUTERI & ingenuitatem suam, qui manuscrip-

nuscriptum hoc ejus, quod adhuc superesse debet, in tenebris coërcent, si nobis fœtum illum sub dium producent, atque refellent eos, qui opinantur nostram linguam Germanicam, & sorores ejus tam esse rudes & crudas, & intractabiles, & insubidas, & inficetas, & ruris plenas, ut ex hoc ligno nunquam possit Mercurius dolari, aut sub incudem poëticam mitti ea lingua, quam propter difficultatem ipsi desperant, aut propter imperitiam infamant, cum certò constet nobis neque copiam, neque venustatem, neque majestatem deesse, quæ si sapere possent, aut vellent, qui vellent, confitendum haberent, hunc tardipedem, & fuliginarium, & austerum, & asperum, & ferricrepum Vulcanum, (talem enim ipsi sibi fingunt sermonem nostrum) præ reliquis Diis cum Gratiis & Venere in matrimonium convenisse. Sicut enim marmor, antequam politum fuerit, nihil nisi marmor est, & tamen marmor, splendorem non monstrans, sed habens, ac totum intra ruditatem suam sepultum: postea verò quam artifex asperitati lævorem substituit, tum demum materia suo lumine vestita fit exterior, & patet in admirationem: Ita & lingua nostra olim quidem in cultu suorum inculta, sed culturæ tamen capax serò, sed aliquando simplicitati suæ successit in eam formam, ut quasi Pygmalionis animatum ebur, quod in fabulis celebratur, non solum suo fictori, sed etiam contemtori, qui peritis oculis uteretur, pro sponsa possit placere. Certè etiam antiquissimos Germanos legimus carminibus delectatos, & ipsum *Ovidium* equitem & Poëtam Romanum Geticam sive Gothicam linguam, quæ nobis popularis est, adeo non sprevisse, ut alicubi scribat, se stylum nonnunquam in exilii sui linguam & carmen Geticum misisse peregrinatum, quæ si adhuc extarent, haberemus cur Augusti inhumanitati faveremus. Quidni verò & de GRVTERI nobis gratulemur damnis, qui *Lugdunum*, ut Juri maximè attenderet, profectus ipse

Custode remoto

apud *Amadéum*, aut alios, qui suis historiis nunquam crediderunt, gaudebat velut Centauros in nubibus & mira plurima mirari, quæ gesta scilicet fuerunt in illo regno, ex quo Pater Anchises curiosum filium per portam eburneam ad superos remisit. Verum noster tamen in illo amœnitatis secessu non tantum hoc egit, ut illo dulci suo ipse abundaret, sed etiam ut Apis instar dulce daret, & dulce quidem cum aculeo, quæ boni Epigrammatis lex est, & in his GRVTERIANIS quædam peculiaris virtus. Vixit autem, dum Lugduni vixit, cum bonis benè, utpote bonus. Venerat enim in urbem illam, cum *Petrus Tiara* ibi Rectorem & in illius anno *Jacobus Arminius*, *Joh. Esychius*, *Bertius* item & *Hogerbetius* cum nonnullis aliis ibidem & in GRVTERI animo ac contubernio agerent, amici germanitus, germanissimè verò Arminius & Hogerbetius facientes cum GRVTERO trium pectorum viridissimum trifolium. Et quia non modo numerum ac nexum, sed & gratiarum gratiam, sed & Charitatum charitatem repræsentabant, Charitæorum vocabulo mutuò fuerunt cognominati, mutuò salutati, mutuò literis præscripti. Cum his noster vivere, his se communem facere, cum his joca, cum his seria fabulari, pulcherrimam factionem arbitratus, cum bonis in amorem, contra nullum in odium conjurare. Minimè verò justum censebat aut pium superioribus recalcitrare, & quorum nos imperio submisimus, ab illis exigere imperii rationem. Hoc decretum animi magnam illi tunc temporis invidiam conflavit, cum Lugduni Studiosorum globus pro nescio quibus privilegiis suis fermento animi Juvenili contra Professores tumesceret, ac veluti Academicus quidam Pompejus omnes pro hostibus haberet, qui Reipublicæ, hoc est, partibus eorum deesset. Solus enim GRVTERVS nulla ratione impelli potuit, ut aut in turbis illis locum, aut in suffragatoribus nomen haberet. Solus cum duobus *Rosendaliis* fratribus, Æmilio & Jacobo, quorum Parens ex Ordinibus erat, pacem prætulit; hoc sibi privilegio vindicato, ut contra multitudinem, quæ argumenti pessimi est, non timeret melius sentire. Amicis familiariter, fortuitis apertè, paribus constanter, summis intrepidè respondebat, nec si convicium faciendum esset vitio, cum fortuna loquebatur peccantis, sed cum peccante, palam objurgans, quicquid silendo crederetur virtus. Haud illud dico, Boni viri, quod stulti libertatem vocant, sapientes libidinem & temeritatem sine judicio, sine obsequio, sine moderatione; sed ingenuitatem intelligo comem ac verecundam sine arrogantia, sine fuco, sine assentatione, non tamen sine velo. Nam apud Summates quoque eandem personam illam agebat, verum pudenter & prudenter, malis bona exempla, bonis mala proponendo, ut hos & illos vel malâ famâ deterreret, vel bonâ gloriâ accenderet, historiis nonnunquam, interdum fabulis, quandoque emblematis utens, & ut ita loquar, *tibicinem verberans pro coquo*. Juratum aliquem consiliarium dixisses non eorum, à quibus stipendium, sed cum quibus argumentum, & sermonem haberet. Non invenisses eum inter histrionales fautores & aurium Sirenes, qui tantum rosas loquuntur Dominis, & dulcia crusta semper suggerunt, sicut pueris solemus

Elementa velint ut discere prima:

nimis herculè obsequiosi Syri, nimis in consiliis propinandis solertes coqui, memores perpetuò Epigrammatarii, secundum cujus institutionem

Servus Domini debet habere gulam.

At noster ita credebat, non debere Principum amicos semper, quod idem Poëta ait;

Servire Palato:

Sed imprimis id operam dare, ut salutaria ministrent, audiantque potius aliquem ex Veteribus monentem; *Bellaria ea esse maxime mellita, quæ mellita non sint:* Quicquid autem per indulgentiam stomacho publicè immittitur, id ipsum haud multò post per omnia membra membratim suppliciis incedit. Et erat omninò GRVTERVS longè alius disciplinæ civilis arbiter, quàm ut putaret in Republica vel gerenda vel tractanda magis requiri versutos quàm cordatos, perplexos quàm simplices, tenebricosos quàm apertos. Quid enim sani sperandum esse ab illis anxiis, qui nihil candidè agunt, loquuntur, intelligunt, alienam mentem semper scrutantes, semper occultantes suam, suspicaces & profectò suspecti, non fidentes & profectò non fidi, cauti & profectò cavendi, humani denique & officiosi & amici, cumque res exigit rem, totam pigmentorum, & figmentorum suorum pergulam prodituri. Multò enim facilius sæculum hoc vulpes gignit, quàm leones. Nam lepores dicere nihil attinet, ubi calliditas major & par fugacitas in compendium coierunt. GRVTERVS liber erat, ingenuus erat, detectus erat, verus erat, eamque libertatem in animo, in vita, in ore, in oculis, in stylo, jam tum ferebat, sed omninò modestiâ ac reverentiâ quadam dilutam; Superiores nemo magis observabat, nemo magis parentes; atque hos quidem an unquam offendisset, negabat se recordari, negabat præceptis eorum quicquam apud se sanctius fuisse, hac unâ sibi contumaciâ concessâ, ut virtutem ad parentum enixissime obstinaret. Tantum aberat, ut ipsos more sæculi falleret, aut absentiam illorum in occasionem profundendi verteret, aut in rationibus, quod aliquibus non rarum est, pro luxuria necessitates, quasi cervam pro virgine supponeret, & Aleonem in Librarium, aut cauponem in Medicum, aut alios impensarum rubores in candida nomina mutaret. Artes enim tales & tabernam vinariam & hujusmodi officinas corruptionum nomine tantum noverat, non usu, crebrò confessus postea, se vitam suam satis tranquillam & longævam, quam vixisset, ad pietatem suam erga parentes, & hanc fiduciam ad promissiones divinas, quemadmodum promissiones ipsas ad bonitatem Dei liberam referre. Quid jam sentiendum habent ii, qui parentum præcepta pro aranearum telis, pecuniam pro vitreis fractis, tempus pro cyatho nebulæ, pietatem ipsam pro inani nomine alibi rumpunt, alibi effundunt, alibi contemnunt, quando præsertim inter ipsas suas pravitates interdum strepitum venientis, aut impetum jam prementis animadvertunt pœnæ. Verum hoc dicere ipsorum est. Nos GRVTERVM adspicimus, qui laudem eam quoque meruit, quam in militia, si quis mereri studuerit, jam fugit antequam militat, & ignominiam apud gloriam quærit. At nostro suum hoc decus constat, idque in pace quisquis non optat insanus est. Illud nempe dicere volui, GRVTERVM in toto corpore *cicatricem non habuisse*, nec proinde cicatricis aliquando causam vulnus, & causam vulneris pugnam, & pugnæ causam pugnacitatem. Ut autem careret istis causis omnibus, effecit contra-

ria

ria *Mansuetudo*, & Mansuetudinis Soror *Verecundia*, & quæ se cum utraque libenter tertiam facit *Prudentia*. Diem studiis dabat, noctem quieti, comitatem notis, facilitatem ignotis, sibi pacem, nulli bellum, nulli belli occasionem. Vagationes nocturnas, & quicquid fine lucerna audetur, relegabat ad Nerones, sive certe Merones, quibus minime invidebat suas cicatrices, sive illas corpori sive famæ, sive quod valde fieri amat, utrique impressas. Nunc etsi melior longe conditio eorum est, qui capite, pede, brachio offendunt, quippe Zeno quoque Philosophus, ille qui lupinorum instar madescebat in dulcedinem, non tanti esse putavit, si quis etiam per invitatiunculam hilariorem pedibus laberetur, id modò ne lingua fieret; affirmo tamen vobis, nullum ne tale quidem vestigium corpus GRVTERI deintegrasse. Nam ut cadere quidem humanum est; ita quàm rarissimè cadere est humanius, & officium hominis hominem dextrè agentis. Nemo maximi fecit equum qui cespitat, aut sæpius procumbit, & cum virtutes omnes complectitur, tamen Dominus in eo æstimando semper excipit cespitationem. Certè quod ab equo exigit Dominus, id sapiens à semet exigere magis volet, utpote frenum corporis habens in manu rationis. Festinare vero, currere, incurrere, quod ante pedes est, non videre, lapides obvios nunc hunc nunc alium labefactare, nunc tignum postemve capite oppugnare, talum torquere, hominis est qui vel reliquit animum in negotiis, vel inter libros oblitus est, vel pignoris loco deposuit in disputatione de *Modalibus*, aut *de numero remigum Vlyssis*, aut omninò nunciatum præmisit amicis, qui se conventuri erant, se hodie non esse apud se. Procul ab hoc vitio GRVTERVS, à communi opprobrio Philosophiæ, quàm in cæteris omnibus *inconsiderantiam* plusquam *Claudianam* suis convictoribus putant afferre. Ostendit ille, verè sapientem esse, qui non solum domi meditetur Reipublicæ optimam gubernationem, sed & foris & ubique corporis sui optimus sit Dux & Imperator; imo fieri posse, ut non nimis sit *Poëta*, qui esset optimus, & *pedes* non minus in versu quàm inter ambulandum sollicitè ponat, ne fortè *Jambicus* incessus desinat in Scazontem.

Parem rationem habuit GRVTERVS linguæ. Etsi enim servitutem in ore minimè gestivit, tamen linguam nunquam manumisit ad impietatem. Verbis utebatur, quæ nec severam *Catonis*, nec teneram *Hippolyti* frontem offenderent, nec matronam averterent. Non ad fidem per Juramenta loquebatur, sed ajebat simpliciter, quod non esset. Nunquam Joves nostros, qui per Inferos, & Inferorum Patrem; nunquam Plutones nostros, qui per Superos, & Superorum Regem in omni sermone jurant, imitaturus; neque sane eos, qui per execrationes, si falsum dixerint, se cœlo exhæredant, orco mancipant, & maximo animarum plagiario suam resignant. Noster primum sibi credebat, quia nonnisi bonam opinionem sibi fecerat benè vivendo. Denique ita vivebat, ut juramento nunquam egeret, velut simplicissimum juramentum ipse esset injuratus GRVTERVS. Veritatem enim primis ab annis religiosè voluit, & ad extremam ætatem à se scrupulosè exegit, ut si comparatio fuisset, facilè *Æmilium Scaurum* agere potuisset contra *Varium Sucronensem* ac dicere; *Utri creditis?*

Hæc habemus de adolescentia GRVTERI, quam Lugdunum usque proveximus. Post curriculum Lugdunense medium tempus nobis effugit, quia memoria nobis hic deficit, & familiares longe sunt, & à conscriis repetere serum est, & in adversariis nihil reperitur. Quemadmodum igitur nubecula interdum non tam solem, quàm oculos nostros tegit, quo minus fontem illum luminis adspiciamus, lumine ipso quasi cominus illustrati: Ita nobis GRVTERVS aliquantillum spatii transcurret in obscuro, non ipse tamen obscurus. Aliquandiu nusquam est, & tamen ubique, aliquando nullis in locis, idem tamen eodem tempore in omnibus. Dubitatis ubi fuerit? in antiqua Roma fuit, in antiqua Græcia fuit, in antiqua Persia, in antiqua Palæstina, vel ut brevius dicam, in antiquo universo fuit, & adhuc brevius iterum, ubique. Quomodo enim ubique non sit, qui quicquid gestum est ubique, non ignoravit. Non bellum decretum fuit, quin ille quasi posthumus consiliarius consultaverit, non gestum, quin ille fortiter, vel ignaviter patrata animadverterit, non urbs obsessa, non oppugnata, non capta, quin ille copias numeraverit, artes cognoverit, machinas intellexerit, tormenta tractarit, non triumphans actus, quin ille ritus & solennitates omnes perdidicerit.

Quicquid in aulis ex humili altum, ex alto humile factum, quicquid ibidem simulatum, aut dissimulatum, quicquid luxuriæ, ambitioni, invidiæ, adulationi datum, quicquid in foro disceptatum, in judiciis judicatum, in templis adoratum, in arena pugnatum, in theatris spectatum, in circo certatum, quicquid denique uspiam fuit, id omne GRVTERVS quasi retrò sæculorum coætaneus vidit & audivit. Sed & versabatur frequenter inter eos, qui sapientiam non tantùm animo, sed auribus etiam commendabant, & aut affectus ludendi, aut artes docendi causa modulabantur: cum *Atridis* ad Trojam profectus est, cum *Vlysse* in Ithacam redit, cum *Ænea* in *Italiam* venit, cum *Ascræo* ruri, cum *Siculo* inter oves, cum aliis in cothurno fuit aut in socco. Præcipue virtutis Magistros in Academiam aut Porticum sequebatur, & quicquid apud illos reperiebat rectum, & pium, vitæ dabat, ut errores sectæ: nec ullus ei satis magnus auctor habebatur, cui sacramentum diceret ad falsam opinionem: Cynicos minimè probabat, quia ipse verecundus erat, & placidus, & comis, & mundus, alloquentibus nec Melitæus, nec Molossus, vestitu non incomptus, sed compositus, non sumtuosus, sed frugalis, non splendidus, sed nec contemptus, non nimis antiqui, non nimis novi moris, neutiquam certè affectatus. Pudor illi in sumendis, pudor in ponendis indumentis. Ipse vestiebat se, ipse devestiebat, nullius sexus ministerio juvandus, fortè Laconica virgine exaudita, quæ cum videret hospitem quendam à servo calceari, *num hospes hic*, dicebat, *non habet manus?* aut Palamedem intuitus, qui miranti Achilli, cur sine servo, sine ancilla proficisceretur ad bellum Trojanum, respondit; quid ergo hæc dextra? quid hæc ejus soror? quasi diceret, neminem sine servo esse, nisi qui inutilis esset, neminem sine satellitio, nisi cui manus, & pedes causarii essent, & inutiles morbo. Arbitrabatur noster tempestivum fore famuli pedes aut manus advocare, quoties sui suæve non sufficerent, aut multiplex opus multiplicem operam postularet, ne pallio quidem gerulum in ambulatione, nec gladio bajulum, si accinctus esset, daturus, potius abjecturus, si quod onus suum alios oneret. Vultis exemplum, & promittitis operam memoranti? Proficiscebatur aliquando noster, cùm Heidelbergæ degeret, ad Mercatum Francofurtensem, & proficiscebatur curru meritorio, qui differtus erat & vectoribus aliis eodem portandis, negotiorum aut negotiationum causa; noster ut libros coemeret aut sibi aut Bibliothecæ Palatinæ. Sedes ipsi contigerat, ut ensem oporteret demere cingulo, & juxta collocare. Succussabat autem currus, ut fieri solet, cum tubera habet via, aut scrobes, aut saxa, & ensis faciebat *artem ludicram*, lasciviebat, subsultabat, tandemque ex saltatore desultor factus ad terram ibat. Sustulit auriga rursum, & relocavit rursum, sed vultuosior & morosior. Tertium facinus ausus est ensis; vidit GRVTERVS, Auriga non vidit, & Ille hunc non vidisse, planè lætus dissimulavit exoptatissimam jacturam, tantum apud se gratulans, *Vale ensis*, *Vale molestia*. Cum enim ferrum nonnisi contra hostem sibi vellet adesse, permolestè ferebat, si dum neminem habebat ferrum, cui irasceretur, putaret se nactum esse cui illuderet, neque dignum censebat, cum properarent omnes, ut gladius unus tergiversator tot comitum & amicorum votis obstaret. Expressit ille quidem in his animum Diogenis, sed eundem sapienter temperavit; non poculum, non catinum, non argentum abjecit, sed quicquid etiam non nisi abjiciendo bonum fieri poterat, quasi malum damnavit negligendo: Pauperem non dixisses, quia facultates ipsi erant privatæ, animus regalis; non avarum, quia fruebatur eo quod habebat, non habere studebat, quod non frueretur, non profusum, quia sic vivebat, ut vivere, sic dabat, ut dare posset, & tamen utrumque faciebat ita, ut magis benignus, quam medius esset, omnibus impensis facilius ignoturus quàm temporis, quod tum pessimè locari putabat, quoties non optimis locaretur. Ideo convivia non faciebat imperitis, sed copiam sui apud doctos sæpè, si quid & illic pro-

ficere posset: ocium nullum sibi indulgebat, nisi cùm valetudini feriaretur. Jus didicit, ut sciret, non ut litibus commodaret, satis Advocatorum ratus, si minùs esset, satis etiam interpretationum, si minus interpretum esset. Ipse enim quietem malebat, & vitam à certaminibus, ab invidia & avaritia remotam, ubi doctrina esset infinita, cupiditatum modus finitus. Et cùm aliquando nonnemo ex eo genere hominum, qui Principum quæsturas exercent, & nonnunquam suum quæstum, inter conviviales sermones diceret: Satius mihi ducerem mori, quàm GRVTERI *libris, literis & syllabis*, studium Criticum suggillans, immori; respondit GRVTERVS: *& ego mallem sublimis mori, quam ad felicitatem tuam damnari, ut quotidie argentum & vitam teram, ut ad calculum sedeam, & colligendis, numerandis, scribendis, condendis, promendis, locandis, fœnerandis pecuniis, ævum impendam.* Sapientibus enim & GRVTERIS res illiberalis habetur in divitiis suas curas, in curis vigilias, in vigiliis noctes, in noctibus verò dies vexare. Vix autem è millibus unum reperias, cui divitiæ sint sive suæ, sive alienæ, quin ille sit divitiarum, quin ille amicum potiùs sit perditurus, quam nummum, nusquam liber à metu, vel Gallinaceum suum suspectans, si curiosius fodiat, quasi & ille scrutaretur, ubi dominus condidisset aurum. Quæ miseria, si hæc talis non est miseria, totum amittere fructum vitæ, ut quæras vel augeas rem nunquam tibi certam, filiis incertiorem, filiorum filiis incertissimam, quâ sæpe non tam locupletas, quam facis Nepotes, dives in arca, pauper animo, mortuus ante mortem, post mortem derisus? GRVTERVS non tam iratus erat suo genio, ut apud superos inferorum pœnas amaret. Hinc cum iterum magni Principis Consiliarius eum interrogaret, cur literas tam adverso Mercurio natas tanto studio præ cæteris coleret, quin operam potius daret illis artibus, quibus filiabus dotem pararet & generos? *Cur auriferis istis artibus*, inquit, *abstineam meæ mihi causæ, filiabus verò materna sunt dotes, nec viri illis deerunt, si non deerunt virtutes: quippe iisdem ornamentis matres earum nuptum iverunt. Bonis satis opum erit, quia bonæ sponsos facile merebuntur bonos; malis iterum satis, quia plus opum non merentur, & si plus ipsis contigisset, frustra malæ sperarent bonos, utpote qui dotes prius spectare solent, quam dotem.* Certa igitur stabat sententia, nunquam artes quæstuosas moliri, multo minus preces pretio mutare apud Potentes. Etsi enim stipendium tale habuerat, ut facile invidiam non haberet, ipsa verò exiguitas suo augmento faveret, nunquam aliorum consuetudini assuevit, ut tenuitatem stipendii precariis adminiculis corrigeret, tesseras frumentarias, vinarias, sportulas aut donativa peteret, & adorandas quercus excuteret; sed Consiliariis ipsis monentibus *verecundi hominis crumenam semper inanem esse*, respondit: *ob drachmas pauculas ego mendicus non fiam, nec munus id est regium; mille verò aureos princeps non dabit, quia munus id negabit esse Philosophicum: ita illi Fortuna obstat mihi professio, & alioquin officium qui facit, beneficii admonet, qui petit, non datum exprobrat & de dando gloriatur, pene addidisset, quod mihi datis ô amici, Principi potius dandum fuit consilium, si qua re me putatis dignum. Nam frustra merita nostra scimus, nisi ad conscientiam quoque ejus referantur, ad quem & devotiones studiorum, & spes præmiorum, & gratiæ beneficiorum, & interdum minimarum rerum notitia solet referri.* At tanto magis laudanda Constantia ejus, quod nec oblatis quidem vinci potuit, ut mediocritati suæ speciosa præferret, ut contemtum divitiarum verteret in amorem, & amorem temperantiæ in ejus contemtum. Nam illud quidem non vehementer cuperes, quod non vehementer speres, aut quod tibi labor, mora, difficultas reddat aspernabile & invisum, aut quod ita parum sit, ut cum habeas haud multo plus habeas, quam si non habeas, facilis continentia potest videri. Sed noster & illud recusavit, quod sponte veniebat, & ad contemnendum id contemtum sui non afferebat, nisi fortè *mille ducenti ducati annui* leves videntur nummi, aut stipes mendicorum. Nam totidem tales illi promittebantur, si decus suum, & vocem publicam *Academiæ Patavinæ* voluisset impertiri, postquam RICOBONVS illic & vivere, & docere desiisset. Invitabat *Pinellus*, solicitabat *Velserus*, negabat utrique GRVTERVS. Erat ei Religioni Religio, sed & erat Religioni ipsa pecuniæ summa, quæ cæteroquin paucis nimia est, & multis opportuna ad impietatem merces. Nefas primum ducebat eò ire, ubi & plus inveniret & minus; sed ut minus hoc plus damni, quam plus illud commodi haberet. Cultus enim divini libertatem publicam (quamvis privatam recepturus) pro quibuscunque divitiis sibi negabat esse venalem; præterea tam humanum sciebat esse invidere alienæ felicitati, quàm alienæ virtuti, & hanc quidem propter invidiam non esse deserendam, illum vero feliciorem esse, qui non sit infelix, quàm qui cum invidia felicissimus. Quippe felicitatis quidem filiam naturalem esse invidiam, Calumniam ejus neptem, Calumniæ verò sobolem & felicitatis quasi pronepotes, noxias innocentum. Quod utinam, GRVTERE, è tuâ potius disciplinâ didicissem, quàm mea fortunâ: Queror hoc apud manes tuos, me post sordidissimos carceres, post capitales hostium minas, post necem paulò distantem, post urbis nostræ obsidionem, post cruentam ejus expugnationem, post latronum insidias, post primi exilii mei mala, post militiæ incommoda nihil reperisse crudelius, quam meam non dico felicitatem, sed aliquam laboriosam quietem. Non erat, quod metueres invidiam tantùm in magnis, quàm ego in parvis expertus sum. Non me fides Principibus, non amicitia magnis & doctis, non integritas omnibus bonis probata, non sacra exilii causa, quæ sæpe alioquin ignotos & pessimos commendant, potuerunt tueri. Id genus quo magis telo ulciscar, quam tuo, GRVTERE, animo, vel, quod idem est, magno? Eveniat tamen hic mihi fructus opto, ut aliquis culpam hic suam inveniens respondendo me faciat meæ historiæ commentatorem, quod nunc sane fecissem, nisi fuissem parum iratus. Ego à GRVTERO ad GRVTERVM redeo, contemtor malevolorum ac contemtorum divitiarum. Accersitus est in *Italiam*. Quam hoc jam honorificum erat, quod ad eam gentem, quæ & literis, & hominibus doctissimis & sui judicio, & exterorum neglectu abundat. Delectus est unus ex media Germania, quod iterum gloriosum est, sive quod ipse potissimum, sive quod potissimum inde. Major enim quodammodo invidiâ est, qui deligitur ex ea gente, cui tam rarò aliæ meritas laudes concedunt, quàm nunquam eripiunt. Expetitus est ab Academia tali, ubi non in Italia, sed ut in ipsa Germania, in Polonia, in Bohemia, in Gallia, in Britannia, in compendio orbis habitaret; quandoquidem quicquid illustre est, quicquid discendi cupidum, quicquid Reipublicæ, quicquid foro, quicquid Medicinæ crescit, id omne tyrocinium suum apud *Patavinos* plerumque aut sumit, aut facit, aut ponit. Vocatus est denique ad liberalitatem tantam, ut GRVTERVM repulsas opibus dantem laudare non possim, quin eundem apud animos nonnullorum reprehendendum exponam; *Academiæ* verò Patavinæ nutricios publica voce, publico literarum, & privato GRVTERI nomine propriè celebrem, utinam in exemplum magnis literarum Educatoribus, ut saltem aliquam *Patavinitatem* talem, si non omninò talem sæculis ostendant, nec semper paupertate dignos putent, qui paupertatem non indignè ferunt. Nam ut divitias magnas anxiè quærere non est sapientum: ita sapientibus necessarias opes subministrare eorum est, qui sine opera sapientum, nec sapientes habent, nec sapienter opes aut regna, cum nullum genus hominum inveniatur, quod minus suis emolumentis advigilare aut possit aut soleat, dum discendi & docendi cupiditati omnes cupiditates alias postponit, & vectigal suum tantum à mortuis exigens honestissimam avaritiam exercet in libris, interim multorum iniquitati obnoxium. Quia enim tales nec de sua, nec de aliena fraude cogitant, & suam innocentiam inspiciunt, quasi obsidem alienæ, multò opportuniores fiunt pessimis lucrorum milviis. Quoties illis institor, quoties Cerdo, quoties vestiarius, quoties aliæ feles nummariæ pro bono & nimio argento malam mercem, & pro tenuitate nuditatem reddunt?

Nemo magis juvandus à magnis, quàm quem minores prædæ habent. At quamvis hæc ita sint, Liberalitati tamen maximi Principis, qui semper beneficiis, quàm pœnis largior fuit, & nunc optimus, postquam malis temporibus antiquior habetur, GRVTERVS intercessit. Cùm enim *Inscriptiones* suas *Romanas* Romanorum Imperatori RVDOLPHO inscripsisset, princeps ita munus hoc acceptum habuit, ut & lau-

laudationis & largitionis suæ munere vicissim dignum putaret, alterius quidem honorem statim præmittens, alterius optionem ad arbitrium auctoris differens, interim per *Wackerum* & *Barvitium* responso dato, GRUTERUM *& præteritum & præsens & sæculum futurum demeruisse, peteret ille à Cæsare munus quod vellet, repulsam ne timeret.* Certè qui petere jubet, & laudat, ille quantum laudat, quod damus, tantum nos invitat, ut petamus. Nam qui nollet nos petere, nollet laudare; quia laudatio meritum intelligit, & meritum repræsentationem. Silentium, quod nec laudat, nec vituperat, magis vituperat quàm laudat, & quidem ita vituperat, ut nos vetet sperare. Verùm cum illud additur, *Pete munus*, & laudatio præmittitur, illud dici videtur, Pete munus mea liberalitate, & tuis meritis dignum. Sed GRUTERUS tanti Principis judicio gavisus de cæteris ita respondit: *Midam aliquando a Libero patre similem optionem consecutum: quia stultè elegerit, in præmii pœnam accepisse, dum auri quidem copiam fructum non haberet; majorem esse sibi reverentiam Majestatum, quam ut ipsis dona sua nominet.*

Facile itaque constabat, aurum non petere, qui auri petitorem in occasione commodi sui reprehenderet. Alius ita respondisset: *ut Cæsari labor meus non displiceret, votum fuit, ut & placeret, non ultra votum, sed supra spem fuit. Atque in eo judiciumne Cæsaris admirer, an in tanta dignitate tantam dignationem, ut cujus erat tantum ignoscere, suum putaverit & studia nostra cognoscere, & in illis præter meritum publicum aliquod suum debitum agnoscere, tum denique explicasset quid sentiret de nostro libro, explorare etiam quid nos sentiremus de ejus liberalitate. Difficile certamen mihi constitutum est cum Cæsaris munificentia, & mea modestia. Si liberius peto, periculum est, ne decoctor mei pudoris videar & avarus; si vereeundè, ne magnitudinis Cæsareæ detrectator videar, & superbus, & mihi malevolus. Hoc unum exprimo Cæsari, opes mihi opus esse, præter libros & liberos parum esse. Quam multum ille dare velit, non definio, sed quam multis. Unus enim non sum, nisi quod ab uno me tam multi alumni petunt, ut non alantur, nisi multis. Vos ô Viri Consiliarii, agite meam causam, quam jam Cæsar probavit, & ita tamen credite, mihi egenti satis fore ad accipiendum propter Virtutem, quicquid abundantissimo Cæsari satis erit ad dandum propter Fortunam.* Alio oratio fuit GRUTERI, qui quidem muneris arbitrium Cæsari remisit, sed excepit aurum. Putabat Wakherus fortè GRUTERO gratum fore, si quid splendoris Insignibus ejus Gentilitiis à Cæsare adjiceretur. Posse enim veterem Nobilitatem ejus novo tanti Principis favore multum ornari; Sed GRUTERUS & huic sententiæ intercessit. Tantum enim abesse dixit, ut honoratior esse cupiat Insignibus, ut sit his ipsis, quæ habeat à majoribus, oneratior quam velit. Haud enim rem magnam, aut decoram sibi videri, Equitem se jactare Brabantiæ aut Flandriæ, cui neutrubi vel locus sit, vel fundus, vel certe fructus, aut foris census, aut equus, aut omnino cantherius, vel quod brevius dicitur, qui sit Exul. Videte cum quali homine Cæsari fuerit negotium! Non desiderat aurum, quia non egebat, non egebat, quia sine pompa erat, erat autem sine pompa, quia nobilitatem intus non extra ferebat, & hæc omnia faciebat ideo, ut aurum non desideraret. Proximus enim est gradus ad avaritiam, magnum esse velle, aut se majorem. Nobilitas quippe quæ vult ostendi, vult ostentari, ostentatio vult apparatum, apparatus sumtum, sumtus unde sumat. Hinc itur ad lucra, ad avaritiam & avaritiæ ministras artes, raro bonas: Itur interdum ad ruinam, ad miserias tanto miseriores, quanto nobiliores sunt, qui fiunt miseri. Operæ pretium erat posteris suis rem difficillimam ostendere, ut discant nobiles esse, & tacere. Cùm igitur GRUTERUS & hujus beneficii veniam petiisset, TOBIAS SCHULTETUS, qui GRUTERUM interiorem interius noverat, ita censuit, non posse contingere illi munus acceptius, quàm si omnes libros ac lucubrationes ejus Cæsar per Privilegium tutas præstaret ab injuriis illorum, qui, si quid alibi excusum est boni libri, protinus idem recudunt, manum non versuri, quicquid aliis obsint, dummodo sibi prosint, aliena vineta cædentes, ut sua conserant. Contigerat enim hæc illi fraus in *Seneca*, quem cùm suis Animadversionibus Heidelbergæ ediderat, sed eundem, nescio ubi, quidam bis geminum fecerunt, ac veluti Jupiter Semeles filium, quanquam bene editum suo femori inseruerunt, ut iterum ederetur, clanculum auctorata prodirione, ut madentes adhuc à prælo Heidelbergensi paginæ quot-septimanis eò accelerarent, ubi contraheretur *Seneca Gruterianus* in minorem formam, & distraheretur in majorem injuriam. Annuit igitur Cæsar de privilegio, & in ipso privilegio de privilegiis ultrò cogitavit, non tantùm illis quæ GRUTERO, sed & quæ concederet GRUTERUS. *Comitem* enim *S. Palatii* designavit, ut ea dignitas aliquando doctissimum nacta satisfaceret Inventori, & quæ nonnunquam bonitati Principum debetur, nunc deberetur Judicio. Decreta res erat apud Principem iterum, ut subscribendo firmaret, quod præscripserat communicando. Sed Cæsarem occupavit morbus, deinde fatum, quod bonas actiones plerunque cum auctoribus finit. Literæ itaque quibus superiora Privilegia continebantur, sicut ejus generis mille alia, more quodam differendi, relictæ sunt absque manu Imperatoris, absque signatione, nec postea unquam productæ, quia nova Potestas facilius sua beneficia orditur, quàm aliena absolvit, & novis curis occupata raro succedit in obligationem veteris promissi. Ita GRUTERUS luculentissimum munus nunquam accepit, & laudes Cæsaris optimi sic celebravit, quasi integrum accepisset. Quod tamen non accepit, generosissimo vitio contigisse arbitror GRUTERI, qui nihil minus à se impetrare poterat, quàm ut frontem suam ad expugnandam muneris tarditatem roboraret; Principem verò appellando obtundere, planè pudendum habebat. Noverat ille quidem consuetudinem Aulæ, ubi impetrata sæpè impetranda sunt, & e multitudine negotiorum cuique eruendum suum, neque sumenda verecundia, quòd ea faciat tantum ad nostri oblivionem. Quia enim hæc virtus tacet, nunquam exauditur, præsertim inter strepitus Magnatum, ubi magis opus contentione vocis, quam perseveratione decori. Sed non gerebat ille personam histrionalem, quam ex arbitrio Ædilis deponeret, & in alia fabula rex esset, in alia servus, suæ magis constantiæ tenax, quam flagitans alienæ, perditurus potius citò, quàm diu perditurus, deserturus etiam nonnunquam jus suum, quam asserturus ubi vidisset sibi tricas nodari, dispendiorum haud inexpertus. * [Wittenbergæ cùm esset, sua virtute sibi damnosus fuit. Evocaverat eum *Septemvir Christianus primus*, & evocaverat nuncio ob id propriè misso, ut Professionem Historiarum susciperet. Retinuit GRUTERUS nuncium in Borussia (in illis enim tunc oris degebat) donec in rheda uterque proficiscerentur cum sarcinis. Satis multum argenti quatuor equorum Auriga, tot milliarium iter, tot dierum prandia & cœnæ; menses autem, quibus illic morabatur, vix annum & suprema Christiano conficiebant. Quo defuncto placuit successoribus, ut in libro quodam, velut templo *Concordiæ* convenirent *omnes*, & nomina subscriberent, quibus totum argumentum libri illius sine exceptione probaretur: abire quo vellent jussis, quibus aliter videretur. GRUTERUS cùm *Librum Concordiæ* nec vidisset nec legisset unquam, abstinuit à subscriptione, quod temerarium esset & fatuum judicare de re, quam non videris, approbare librum, quem non legeris, firmare sententiam, quam non consideraveris, subscribere divinis, quæ cum divinis nondum contuleris. Missionem igitur prætulit, & prætulerunt hanc alii duo viri clarissimi, sed majori suo commodo quam GRUTERUS. Illis enim semestre stipendium, quod honestæ Missionis illic commeatus est, subvenit; GRUTERO nec hoc evenit, causa superius indicata, quod purpuras Aulicas adorare nesciebat, Principi verò tormentum, aut supplicationis continuæ fidiculas adhibere sibi interdixerat. Minus enim molestiæ inesse videbatur dispendio expedito, quam stipendio aut præmio intricato. Sic boni viri plerunque longè absunt à gloria divitiarum, quia tantumdem absunt ab ingenio divitum, dum nec alienis inhiant, nec sua clamosè reposcunt, nec præmia cùm meruerunt, persequuntur, & cum nemo dat, à se petunt, & cum parum habent, satis putant, quodque valde magnificum est, etiam divitibus donant, quoties illi vel morosè fatentur, vel invitè reddunt, vel libenter obliviscuntur. Semper enim facillimè ignoscunt, & rarò se debere putant, quorum creditores sunt viri boni. Quia bonitatem patien-

* [Non probantur hæc ex odio in Formul. Concordiæ profecta.]

tientia, patientiam onus comitatur. GRVTERVS noster planè admirabilis erat, qui cum sine beneficio missionem acciperet, beneficus missionem dedit. Diogenem audire videor, cui cum servus unicus aufugisset, *turpe est*, inquit, *Manem* (nam id nomen servo) *sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse.* Ita GRVTERVS turpe duxit divitias se carere posse, se non carere posse divitiis. Est enim & aurum & argentum quoddam mancipium, nisi quoties mancipia facit ex dominis, & quanquam custoditur centum clavibus, tamen aliquando fugit. Sapienter igitur GRVTERVS cum mancipium hoc retrahere sine labore non posset, cum contemtu omisit, & cum unius fugitivi indolem cognovisset, reliqua non desideravit. * Quid usitatius est in Academiis nostris, quam Convictorum frequentia apud Professores, quorum in familia aluntur, qui vicissitudine justissima eorum familiam alunt? Quis inculpatior modus, quamdiu modus est, cum commodo suo aliis gratificandi? Nunquam tamen GRVTERVS hunc morem domum suam introduxit, quia rem tam necessariam, quam per se humanissimam culpa avaritiæ pridem, & in alios suspicio contaminavit. Nam postquam non commodi, sed quæstus causa locupletum liberos captare placuit, postquam sivor olim hospitii factus est ambitus, postquam molestia meruit æmulationem, nec æmulatio timuit modestiam, quia speravit lucrum, inde factum est, ut vitium maneat apud malos, convitium veniat etiam ad bonos. Jam quod aliqui Juvenes frugalitati nondum maturos, & luxuriæ præcoces domi suæ virtuti magis corrumpunt, & pravitati magis exercent, aliud jam est facinus. Reperiuntur enim non pauci, qui totas annonas sub tecta congerunt, non ut necessitati parata sit copia, sed ut alumnis non desit, quod post satietatem esuriant, & post potum sitiant, cœnantes usque ad prandia, & prandentes usque ad cœnas: Sic fiunt contubernia tabernæ, convictores compotores, impensæ offensæ, opes inopiæ, luxus luctus, hospites hostes, & ut verissima cavillatione obsignem, receptores nimis sæpe deceptores. Isthæc ne GRVTERVS eadem faceret, minimè præmittebat, sed magis illud, ne cum nollet, laboraret invidia Tutoris, támque iniquis oculis aspiceretur Cato, qui domi suæ Liberalia non ferret, quàm olim alter, quem foris non ferebant Floralia. Idcirco cùm alioquin officia sua patefaceret omnibus, in hoc eum nullus exoravit, ut mensam aperiret convictori, aut colligeret pensiones, Illustrium quoque constantissimas preces pari constantia deprecatus, ne rem non sui moris, non sui consilii à se contenderent. Quod apud ipsum esse mallent, id sibi gratissimum testimonium charitatis, & hanc diuturniorem fore, si coleretur sine contractu. Fieri enim posse, ut, qui præfecturam gerant Culinariam, aut reliquas curas domesticas expediant, minus sententiis eorum respondeant; tum protinus Amicitiam vitium, etsi non valde, tamen vitium facturam, quia casus ejusmodi pro Consiliis soleant accipi, & quicquid male præstent familiares, quia pro Domino videatur, à Domino videri. Rectius illos habitare posse, ubi minus amicitiæ labes curetur, tantum abesse sibi voluntatem minuendi amicos, quantum numerus eorum absit adhuc à perfectione. Difficile præterea in alendis aliis nimium temperare, & parum; ex illo querelas, ex hoc malum domesticum venire. Raro autem dedisse aliis æquum, qui non sibi dederit iniquum, æque raro iniquum aliis non dedisse, qui sibi dederit æquum. Esse enim proximos inter se fines proprii & alieni, facilemque ad aliud transgressum. Meliùs abstinere à toto, qui pretium ponat famæ, quam sapientem tam integram esse velle, quam Cæsarem olim suam uxorem. Tum neminem injustiorem videri, quàm qui detrimentis suis præsit, & cum labore rem faciat deteriorem. Hac excusatione GRVTERVS plurium desideriis occurrit, & lucro blando decessit, & amicitiam non offendit, vir alioqui juventutis emolumentis semper paratus, præsertim quoties commendationis stimulus vel levissimus accedebat. Nam in omnibus propè terris; in omnibus propè magnis aut parvis civitatibus tot amici, tot faventes erant, ut aliquam parvam terram, aut aliquam magnam civitatem talibus potuisset implere. Vidi literas, quas optimus senex peregrinaturis aliquoties apertas dederat, totis aliquot paginis nihil, quàm nomina, quàm salutes, quàm breves laudes amicorum continentes. Ut enim quidam cum terrarum situs in tabulis adumbrant, interdum longissimam punctulorum sementem tractu tereti sinuant, ut noscamus, quibus itineribus Alexander orbem peregerit, quibus Æneas in Italiam venerit, quibus flexibus alius Orientem, alius Occidentem invenerit. Ita GRVTERVS peregrinantium itinera Amicis conserebat, & charissimorum nominum quasi filo aureo nunc huc nunc illuc proficiscentes comitabatur, alium longe salutans, alium eminus complectens, alium procul exosculans, alii manum, alii collum premens, omnibus advenam suum commendans. Et ab illis quidem vicissim reddebantur paria, commeantibus perpetuò literis, quæ cùm cæteras familiaritates, tùm creberrimè commendationes advehebant, & novos amicos. Hos noster facillimo congressu recipiebat, lautioribus officia cujuscunque generis, cæteris, & quorum tenuitas tamen bonæ mentis soror esset, etiam beneficia diffundens. Etenim GRVTERI imaginem, qualem salutantibus aut clientibus ostendit, quoties comitas exercenda fuit, aut beneficentia, si quis cupiet intueri, hujus ego votum in autumnum distulerim. Illic videbit arborum felices copias, verecundos pomorum vultus, mustulentas vinearum gratitudines, totam spem anni in effectu, & in eadem facie GRVTERVM. Erat illi prompta humanitas, sed cum fructu magis, quam cum flore: non nimium vernabat luxurie promissorum, nec fœcunditatem mentiebatur speciosis dictis, nec bonus illi Aprilis finiebatur in malum Octubrem. Sicut enim arbores quædam,

Cum Sol egelidos refert tepores,

effusissime florent, sed minis caducis: Ita quidam homines sine modo blandiuntur, & totum officium consumunt in verbis. Nondum benè dixerim, qualis in hac parte fuit GRVTERVS, nisi pinxero aliquem, qualis GRVTERVS non fuit. Introducam hominem ornamentis non GRVTERIANIS; Atque ecce, incedens arridet è longinquo, & illecebrosissima vultus suavitate gratiosus jam dextra capiti ablatum pileum sinistræ commendat; jam vacuam manum ori suo, mox calceo nostro admovet, & toto vertice descendit ad alienum genu, non resurrecturus, nisi scitissima pedum inquietudine, & salutatione prodigiosa, nullo consensu animi peracta, *Domine*, inquit, *nihil superest fortunæ, aut ad honorem, aut ad felicitatem meam augendam, postquam me dignata est tanta benevolentia, ut hic adspectus tuus in meum conspectum, ego in alloquium & complexum, vel potius in possessionem tuam, si tanti sum, venirem. Gratulor tibi de valetudine tua, quâ mea geminatur, & preces devotissimas precor, ut proprium hoc tibi munus esse velit, qui tibi semel tribuit, quod semper mereris. Et cum justum sit omnes illi servire, quem Deus amat, obsecro te, ne desiderium meum flagrantissimum repudies, ut esse possim inter illos, qui a te mandata accipiunt. Odi enim meam libertatem, postquam scio, quàm gloriosum mihi sit futurum, tibi servire.* Sin prohibes, & hanc mihi felicitatem imperii tui negas, juro tibi, me non cessaturum observare Occasionis aureas illas capronas, ut quàm sæpissimè meis officiis me tibi fateri & facere possim debitorem, vel ut propriè loquar, tuum mancipium. Tum frugi iste servus, iteratis obsequiis suis, iteratis osculis pedum manuumque, sumto iterum ore *Ignatii Catulliani*, blandoque risu, corpore rursus arcuato, flexis iterum genibus & alternatâ lumborum lasciviâ discedit; sed ut honestius videatur se gerere, nunquam discedet aversus, nisi decem amplius passuum intervallis, ne partes illas obvertat amico, quæ commodius occultantur sedendo.

Crederes te non servum, sed patronum nactum esse optimum, maximum, & præsidium fortunæ, cùm si quid illum postea ores iisdem precibus, si pari superstitione adores, nihil minus sis reperturus, quam eum qui tibi tam bella verba fecit, aut tam belle dedit. Dicet, sibi obstare partim suas necessitates, partim suas necessitudines; vix operam propriis, vix illorum rebus sufficere, quos aut natura sibi, aut antegressum magnum officium fecerit proximiores, se tibi non posse vacare, cumque rationes omnes explicaverit, hactenus illas probabis, ut firmiter credere possis, eum non velle. O cupressus pulchras quidem, sed tantum pulchras, exclamavit aliquando *Phocion* Athenis, cùm audiret quendam splendidis promissis stimulantem cives ad bellum, ad victoriam, ad liber-

bertatem, ad decus, ad alia præmia, quæ non rarius afferuntur hosti, quàm auferuntur. Scilicet non omne magnum par habet pretium, & ut sæpe nitori deest virtus, ita sæpe virtuti nitor. Sæpe multa verba nulla sunt, sunt & pessima sæpe, quæ sunt optima; sunt arbores, quarum opes desinunt in forma, in cortice, in foliis; sunt *cupressus* denique *Phocionis*, quæ nec esui sunt, nec magno usui, nisi quod olim feralibus miscebantur officiis, ut testes funerum essent, comites luctuum, & sodales lachrymarum. Nam & folia ista verborum plerumque succedunt in has vices, & ubi nimium blandus sermo, & blando sermoni credula fides, ibi pœnitentia & tuarum rerum funus. Quid enim novi nunc est, in mimo tragœdias meditari, & per imaginem benevolentiæ non tantùm vanitati ludos, sed etiam malignitati sævitiam dare. Injuria esset, si GRVTERVM ita laudare vellem, ut eum eximerem pessimis, cùm nec malis fuerit vicinus, & inter optimos vel propterea sit habendus, quod bene semper maluerit facere, dum parum delicatè loqueretur, quam delicatè loqui, dum parum faceret. Brevis illi oratio tum, & simplex, & secura credendi; volo, inquit, *quod vis, si vis, quod possum: Libri mihi sunt, illis utere, studia sunt, illa consule, amicitia est, illa fruere.* Hæc sunt, quæ noster offerebat amicis, quia talia plurimi æstimabat, nihil libentius accepturus, si quid ipsi foret accipiendum, quàm quod promittebat, nec daturus lentius, quàm promissurus, quia promittebat ea, quæ dare poterat, & frustra sciebat promitti, quæ vel præstare, si velis, non possis, aut si possis, non velis, dum utrumque scires, cùm promitteres, quasi tantum promittendi causa promitteres. Hinc libri ejus nullo prope ocio fruebantur, quasi castrensi disciplinæ assuefacti, ut perpetuo labore exercitati nunquam haberentur inutiles. Aut enim dominus illos terebat domi, aut aliquis occupabat foris. Et ut boni militis signa non sunt nitor in cultu, aut in vultu, sed potius squalor, callus, cicatrix, & totæ frigorum, æstus, pluviarum, vigiliarum, itinerum, pugnarum, ac reliquæ patientiæ militaris Ephemerides in ore, in manibus, in veste: Ita GRVTERI libros magis honestos vidisses nævis & attritu, quàm novitate vetusta, aut integritate ignava, aut inglorio decore. Quia tot illis utebantur pro suis, quot GRVTERVS habebat pro amicis. Sæpe libros aliquis ab ipso & veniam petiit, quod tàm sæpe peteret: libros ille dedit, veniam non dedit, quia, inquiebat, nihil peccas, dum libros petis. Sed incipis opus habere veniâ, dum veniam petis. Nam hoc adversus GRVTERVM peccatum est, non habere GRVTERO audacter fiduciam. Salutantium præterea desideriis quam facillime occurrebat, nec majestatis nimius, nec familiaritatis parcus. Potuisses statim vereri, statim amare, statim fidere, statim audire aliquid ex antiquitate, ex bonis literis, ex historia, ex legibus. Imprimis autem hoc agebat, ut apud minorem ætatem oracula sapientiæ misceret, ut sermones suos condiret salibus, & per eosdem sales infunderet valetudinem morum. Differebat de ratione vivendi, quid in hoc ævo optimum, quid pessimum, quid pulchrum, quid turpe, quid solidum, quid vanum esset. Conciliabat virtuti studium, vitiis odium, literis amorem. Veteres Cupidinem aliquem commenti sunt alatum, cœcum, pharetratum, incendiarium, sagittarium; & his instrumentis omnibus nihil faciebat, quam amare. Quam ego vim in GRVTERO potius fuisse nimis certo scio. Nam quod illic fictum, hic factum fuit:

Vidimus, accepit fabula prisca fidem:

Alatus erat, quia supra sordes volabat humanas: alatus erat, quia per liquidum aëra ferebatur pennis gloriæ: alatus erat, quia celerrimo cursu totum orbem, totam antiquitatem, tota sapientiæ latifundia peragrabat. Erat & cœcus, sed ita, ut justitia pingitur, dum fortunam non spectabat oculis, sed animo virtutem: cœcus iterum, quia pauperi æquè amicus ac diviti; amicior semper illis, quorum opes essent in animo, ut ipsi lumen. Hoc enim est in cœcitate esse perspicacem, & in perspicacitate esse cœcum, dum non tam utimur judicio oculi, quam oculo judicii. Erat & pharetratus, sed illa pharetra, unde sapientes, non ut ille apud Diogenem puer, ex vagina eburnea gladium plumbeum, sed sententiarum spicula aurea depromunt. Erat sagittarius, sed longe melior & justior, quam Cambyses, qui patre spectante filii pectus trajecit: noster figebat, cùm non lædeiet, sanabat cum sauciaret, vulnus faciebat, sed quà solus intraret. Incendiarius denique, sed ad honestatem, ad gloriam, ad laudem. Huc ille fomites, huc malleolos, huc stupam, huc picem adferebat, vel ut brevius dicam, quicquid dictum est, solertissime ubique inflammabat amorem, sed virtutis, sed bonæ mentis, sed literarum. Ne miremini, quod partem hanc ambitiosius exequor. Nolite putare nos in comparatione fabulari, fabulas loqui, aut in oratione agere Poëtam, ut res per se tenuis crescat auxilio verborum. Reveia enim tantum pollebat eximius vir, stimulis suis, inter quos maximus fuit ejus exemplum, ut qui discedebant ab ipso, semper auferrent in animo quendam incredibilem discendi ardorem, domumque reversi, non jam libros amarent, sed deperirent. Et quia tales ignes per diuturnitatem interdum solent languere (nam ne Vestalis quidem focus olim vivebat sine custode) selectiora illa ingenia, quæ GRVTERI amicitia semel incaluerant, subinde revertebantur, vivacius arsuri post auditum GRVTERVM. Lenonem generis humani Socrates Socratem appellavit, quod artificio quodam peculiari homines induceret in contubernium virtutis. Ut Socrates igitur imitatus est Lenonem; ita GRVTERVS imitatus est Socratem, vel potiùs eundem naturæ quodam arbitrio expressit, & cum amorem suscitaret singulis, omnes rivales fecit virtutis; hanc tamen facile, inquiebat, dari posse cunctis, si unusquisque illorum prius captaret ancillas, & per illorum pectus quasi per Vestibulum intraret in pectus Dominæ. Ancillas autem istas cognominavit Artes, cognominavit Scientias, Disciplinas Humanitatis, Historias, Leges, Antiquitates; quæ singulæ dum sciunt quid faciendum sit, ancillæ sunt; dum faciunt quod sciunt, dominæ sunt, & ipsæ per se virtutes. Alioquin enim sæpe etiam is, qui sapientiæ operam dat, obsequium non dat: qui juri studet, Justitiæ non studet: qui valetudines curat, valetudines non spectat: qui Rempublicam gerit, suam magis gerit: qui sacris consecratur, sacra desecrat: qui se pietati tradit, sibi pietatem non tradit. Illud autem tunc maxime fieri differebat GRVTERVS, quando ad summa studiorum nimia fit properatio, quando spinosæ definitiones virtutum pro virtutibus discantur, quando prudentes simus, antequam sapientes, quando lucrum prius ametur, quam honestas, quando interrogati cur sacra, cur humana discamus, respondeamus, peni, nummi, nostra causa. Hinc reperiri tot semiliteratos, tot indoctè doctos, tot barbarè disertos, quia tales dum ad summas disciplinas tanquam ad prædam festinant, cæteras tanquam avaritiæ parum opportunas relinquunt. Hæc & id genus alia GRVTERVS apud aures Juventutis perpetuo serebat, diligenter cavens, ne periret adolescentibus etiam illud tempus, quod ipsi quoque periturum erat, nisi dixisset aliquid, quod alteri prodesset. Non tamen inter ista verba censoriam severitatem suspendebat in fronte, nec consilium confundebat cum imperio. Amœnus illi vultus veluti inter ludos, sermo illi jucundus velut inter pares, mos illi suadendi, non præcipiendi velut inter liberos, utque omnem tristitiæ opinionem removeret, nonnunquam cyathis etiam adventores suos aspergebat, si tamen bonâ illorum veniâ dicere licet, qui lætitiam quasi scelus fugiunt, & in aliis notant ut impietatem, quibus omnis

Risus abest, visi nisi quem fecere dolores.

Qui caliginem supercilii sanctitatem vocant, & quia ebrietas merito suo male audit, vinum quoque reum faciunt, superstitione Thracum imbuti, qui olim nimium fas habebant vino abuti, nunc eodem uti fas hodie non habent, tanquam nihil medii sit inter bibentem, & inter nimium bibentem, tanquam vinum nullum sit gustandum, nisi quoties

Caret os humore loquentis

Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.

Atqui enim vinum ebrietatem gignit: Scilicet immodicum. Atqui vinum valetudini obest: Scilicet nimium. Atque vinum flagitia patrat, scilicet sumtum intemperanter. Nam & aquam hac ratione proscribendam dices, quia multi perierunt in aqua, multi per aquam; neque quisquam potu hoc ranarum extinctus est, nisi qui nimium bibit; & alioquin Leandrum

drum illum, cum ad Amicam nataret, nulla alia causa putant mortuum esse, quam quod in aquis non servavit modum bibendi. Verum hoc sine joco dicam; Interest aliquid inter Virtutem, & Virtutis simiam affectationem, Virtus simplex est, affectatio cum fuco, Virtus propter se ipsam honesta est, affectatio ostentui, Virtus vult esse, affectatio videri. Cùm videatur potatio, sobrietas est, cùm potus, siccitas, cùm lepor, rusticitas; cùm verò, quod malo exemplo non sit, reprehenditur, morositas est, livor est, vanitas est, arrogantia est. Errare enim mihi longe videntur, qui nos in hac vitâ collocatos putant velut in domo lugubri, aut antro Trophonii, ubi nunquam liceat explicare frontem, nec diluere quandoque diem aliqua hora dulci. Dignus omnium risu censeri potest Democritus, dum semper risit: at Heraclitus toto Democrito dignus is, qui semper flevit. Nulli affectui soli servire oportet, quia dum servitur uni, servitur toti, omnis autem affectus cùm totus est, malus est, nunquam integrior, quam cum integer non est, præsertim ille, qui solitudine gaudet, & suspiriis, qui lachrymas suas libenter bibit, & mœrorem libentius, quam merum, qui sua tristitia lætatur, & aliorum lætitia fit tristis, qui suum morem tantum probat, & omnes illos improbat, qui non sequuntur suum: maxime tamen ille nullius rei est, qui gravem austeritatem fingit, & sub persona mentitur faciem virtutis. Non enim conscientia fronte merenda est, nec cujusquam fama luere debet innocentem hilaritatem, non illam certè, quam in GRVTERO laudamus, doctam, tempestivam, moderatam, & quamvis interdum cum rore vini, non tamen cum luxuria. Serenabat ille animum, sed aliquando, & instar solis matutini, qui frigidum diluculum clementer stringit,

Dum nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena rosarum
Atria.

Irrigabat animum & amicos, sed magis hos, & utrosque tamen verecundè, tantum illud genus propinationis expertus,

Gleba quod, æstivo leviter cùm spargitur imbre.

Alias enim nec è conviviis, in quibus interdum plurimum est licentiæ, referebat incertiorem pedem aut marcidum intemperantiæ caput, nec quisquam eum coëgisset, ut excederet craterem sobrietatis, aut tertium illum Anacharsidis attingeret, biberet tamen donec animus floreret, & in vultum aliquam emitteret lubentiam genialem, non inimicus etiam consuetudini, cum per convivarum seriem solet exaudiri, *Bene Principem, bene amicos, bene hunc, bene illum!* Sed hilaritatis ita servabat perpetuo modum, quemadmodum illius rei, per quam hilaritas excitatur, vultu propè semper eodem, & quia quotidiana frons illi nunquam erat contracta, sed summæ tranquillitatis plena, non nimis evidens illius esse poterat mutatio, quando extraordinariè vigebat. Utrumque affectum mirè temperabat, ut nec in lætitia lætissimus esset, nec in tristitia tristissimus. Nam juveniliter exultantem nemo vidit, nemo muliebriter flentem. Unde quædam ex nostris Matronis, cum illam constantiam oris aliquando notasset, maritum suum rogavit, nunquid ipsi quoque GRVTERVS visus esset in funere uxoris vultum illum habuisse, quem habuerit antea in nuptiis. Humanitatem igitur GRVTERVS ac Venustatem cunctis approbavit, quorum fortuna non desiderabat benignitatem, hanc verò pro copiis suis haud etiam omisit adversus illos, quibus ingenium erat patrimonium, & nullum vitæ auxilium nisi alienum, quique plus animi, quàm viatici habebant ad virtutem, aut patria patriisque bonis per odium Religionis expulsi, misericordiam sui circumferehant inviti. Liberalis erat inprimis erga Doctores Ecclesiæ & Scholarum, quoties illos bona causa malæ potentiæ invisos, & ipso munere vivendi fecerat miseros, dum foras exclusi publicæ humanitatis fiebant alumni, & sui supplicii educatores. Minimum erat beneficiorum stipes, quamvis creberrima. Nam hæc, ut fruendi causa petitur, ita fruendo tandem perit: maximum illud, quod commendationibus suis plurimorum exilia mutavit in certam sedem, & stipes, in stipendia. Quia enim GRVTERO summa ubique erat amicitia, precibus & clientibus suis facile impetrabat locum. Argumento sunt centum amplius Epistolæ, quarum auctores salutem & dignitatem suam confitebantur opus esse GRVTERI. Ita nimirum comparatum est in vita humana, ut calamitosis nemo facilius succurrat, quàm ille, qui vel adversa sua reminiscitur, vel aliena mala sic intuetur, ut eadem credat fieri posse aliquando sua. Contra nihil durius est homine, qui secundis rebus semper usus, fortunam sibi mancipio datam putat, nec genituram suam aliter voluisse, quàm ut ab infelicibus semper longissime differret. Exules igitur cùm videt, errones & profugos vocat, egenos mendicabula, calamitosos mala omina, oppressos orbis piacula, cunctos verò infelices naturæ purgamenta, omnium denique talium adspectus, sua solatia, quod dignus fuerit visus, qui nihil pateretur simile: opem autem ferre alteri tàm timet, quàm alteram ferre sortem. Atqui nescit hoc genus, quam omnis felicitas sit lubrica, quam sæpe domos & dominos mutet insidiosissima hæc possessio, dum ad hæredes transit, nec genitos, nec scriptos, & quod gravissimum est, transit ante mortem, aut quod gravissimo illo adhuc gravius est, adversariam suam relinquit, ut non tantum amissione boni, sed etiam accessione mali reddat miseriorem, quàm reddidit alium. Pacem domi jactas; at illam tam diu habebis, donec vicinus aliquis volet, qui potest aliquando non velle. In patria es: at illi nondum omnes mortui sunt, qui multis patriam eripiunt, ut sibi faciant patriam ex pluribus unam. Divitiis abundas? cave, ne aliquando dicas, te abundasse. Bella, exilia, paupertas tàm tibi communia sunt, quàm aliis tecum communia fuerunt gaudia pacis, patriæ, opum; quos tu nunc contemnis velut exutos, quasi nunquam exuendus. GRVTERVS afflictis succurrit, quia vices noverat rerum, & primum se sibi suggerebat, utpote cui ultima ætatis memoria erat Proscriptio parentum & suum exilium: suggerebat deinde alios, quorum felicitas retro lapsa tàm non invenit quò amplius caderet, quàm antea non invenit quò amplius assurgeret: suggerebat post alios sese iterum sibi, utpote cujus forsitan seræ ætati posset contingere, quod contigisset primæ. In his autem potissimum obtemperavit suæ naturæ, quæ non sola rerum movebatur inconstantia, sed ipsa sponte congruebat officiis, & miserationi. Id si non inhæret mortalium animis, haud quisquam facile præceptis paret, aut terretur exemplis, ut amet aut juvet sui similes in dissimili fortuna. Nam & inhumanus, & avarus, & superbus sensibus præditi sunt illis, in quos hæ vicissitudines humanæ incurrunt: manent tamen inhumani, & avari, & superbi, quàm diu illis superest morbi sui argumentum Incolumitas. Sincerior enim bonitas est, quæ ducem animum sequitur, quàm quæ lictorem metum. Illam agnoscimus in GRVTERO, qui & egenis benigne dedit, & indigis prompte credidit; utrumque virtute indolis, cum tam crudele putaret, non dare esurienti, quam inhumanum negare mutuanti. Et quanquam ipsius argentum non semel in mala nomina inciderat, & obliviosam fidem facientibus ex commodato donum, quibus dignum erat ultra sortem etiam usuræ loco reddere gratias. Non tamen desistebat ille, quoties rogaretur, pecunias promere auxiliares, cum interim subinde confiteretur damnosam facilitatem suam, dicere per jocum solitus; *Bene secum actum, quod puella non esset natus, haud dubie enim nemini se fuisse negaturum.* In se itaque potius facete lusit, quam ingratos aspere perstrinxit, aut propter hos inhumaniter alios rejecit, aut eosdem sponsoribus testibus, aut scribis publicis stipavit, ut & ipsi in ære essent, & fides in custodia. Quem morem vulgò receptum noster ne tunc quidem adhibuit, cùm majoris etiam momenti pacta forent condenda, cum filiabus generos daret, & dotem, nulla testium conscientia, nullâ Formulariorum curiositate, nullâ cerâ, quam soceri generique opus esse censebat. Viros, inquiebat, filiabus non do, nisi quos certo mihi persuadeam esse viros bonos: quos si verè nactus sum tales, frustra cumque injuria illorum caveo injuriam. Nemo enim fraudem facit, nisi malus, socerum vero nemo fallit, nisi pessimus, & ne patri quidem parsurus: sin improbos, iniquos & perfidos, quid firmum, quid custoditum, quid sanctum satis erit, quod non hi tales perrumpant, violent, invadant? Quæ dos erit satis clausa, quam non tales, aut attrahant in suam rapinam, aut consumant in suam gulam? Nam nec avarus quid justum

sit

sit cogitat, nec luxuriosus quid suum: ille habere vult, quod habeat, hic quod non habeat, uterque utcunque habeat. Nihil obstabit utrique Charybdi. Si quid deinde secus accidisset, & minus ex voto tàm in iis, quæ modo dicta sunt, quàm in aliis vitæ negotiis, illud omne tali excipiebat animo, quali susceperat, aut ordinaverat; susceperat autem sic, ut existimaret aliter evenire posse, quam vellet. Eventus enim omnes expectare, hominis est, sinistros tolerare, viri. Ea fortitudo in GRVTERO planè fuit singularis. Damna, morbos, exilia, calamitates expertus est, quantum quisquam; toleravit, ut pauci. Certè credidisses eum non admodum sentire quoscunque casus, quia dum sentiebat, abstinuit à querelis. Ubicunque esset, in quibuscunque malis versaretur, non omisit ille literas suas, non scriptionem, non fortia verba, non urbanitates, non jocos, non animum subnixum, non libertatem, non denique GRVTERVM. Nullus affectus tenerior est, quam ille, qui inter conjuges coalescit, qui duas animas jungit, & junctas habet pro una. Hæ cum post duæ fiunt iterum, & dies ille fatalis toto cœli ac terræ medio molitur divortium, magnitudo doloris non potest non respondere magnitudini flagrantissimi affectus. Lacerat enim vehementer animum, quicquid in illum descenditchari, cùm illud ipsum, post actas penitissimè radices, editosque dulcissimos fructus, qui suntamoris stabilimenta, non eximitur, sed evellitur. Hoc opinor intelligi voluerunt Poëtæ, qui famosum illum Thraciæ Lyricinem vivum adiisse mortuos confinxerunt, ut posthumus fieret procus uxoris suæ, eamque vel assereret vitæ secundæ, vel si conjux reddi sibi non posset vivendo, ipse se redderet conjungi commoriendo. Si causam adspicimus luctus, GRVTERVS habuit eandem cum maritis afflictissimis, sed quater eandem, & bis altero tanto graviorem.

Toties enim citata mortalitas illi conjugium rupit, toties uxores extulit, toties viduum egit, & ut semper alioquin fortis, ita nunc fuit quater fortissimus, cum illi multiplex, & potens hæc calamitas injiceret manus, totoque impetu grassaretur ad triumphum. Nec tamen ita contra mala sua stetit, ut statua, nec illi pectus ex ferro, sed ferrum fuit circa pectus; non sine dolore animus, sed nec sine animo dolor; meminerat se maritum esse, sed non obliviscebatur se esse virum. Lugebat uxores, sed in earum luctu non transibat in earum sexum. Cum etiam ex illis una, dum nescio quid linteorum, siccandi causa, in pertica transversa pedesque in extremos digitos, & totum corpus sine libramento pronum suspendit in fenestra, præceps è superiore parte domus delapsa animam exhalasset: doluit ille quidem magnopere morte uxoris, doluit ipsa specie mortis, doluit inopinâ viduitate, sed post amissionem tamen uxoris multum abfuit ab amissione sui, multum ab impatientia vulgari, quæ plerumque cum corrigere non possit mala sua, corrigere vult Deum. Noster calamitates suas nunquam magis comparavit cum suis votis, quàm cum beneficiis divinis, semper gratus ob præterita bona, gratus etiam ob præsentia mala, quoniam illa fuerint tanta, quanta ipse nunquam meruisset, hæc autem ne tanta quidem, quanta meruisset. Nullam igitur sibi relictam dicebat causam querendi, dum semper major superesset causa gratulandi: siquidem benignitate cœlesti eum bis frui, cui illa faverit indigno, nec desierit favere, cum cœpisset irasci. Nullum enim tantum malum sibi obvenisse, in quo non infuerit tantundem boni, ipsamque magnitudinem gratiæ divinæ, sive quâ suum opus totum egit, sive quâ pœnæ opus temperavit, malis prope delevisse suum nomen, multum denique restare, ut Deus clementiæ & justitiæ rationes faciat æquales. Summi solatii loco apud se stare illud, quod noverit manum percutientis, quod sciat se vapulare à Deo. Nam & probos liberos humaniter ferre, si cædantur a parentibus; semper minorem videri dolorem, quem faciat bonus & nobis profuturus animus. Mortem ipsam non formidabat ignaviter, nec trepidè circumspiciebat, quà venire posset illud, quod omnibus venit, & per omnia venit itinera. Quicquid enim adspicimus supra, infra, circa nos, aut mortale est, aut mortiferum, neque mors tela sua anxiè disponit, sed ubique invenit. Extra mundum nempe fugiendum est, si velis hanc effugere, & tamen extra mundum non itur, nisi per hanc portam. Pertinet huc illa GRVTERI responsio, quam super habitatione sua percontatori cuidam dederat Heidelbergæ. Cùm enim principio, nondum proprium larem nactus, domum incoleret annosam, multa carie ac specie nutantis, vitiosiora quidem noster correxit, immissis novis tignis, sed nondum desierant eum interrogare quidam curiosi, ecquid tam putridis ædibus vitam crederet, nec timeret ruinam ab illa trabium senecta? Quibus ille tantum respondit: *Nullam videri mortem magis extra sensum doloris, quam illam, quæ contingeret ædificii illapsu.* Atque hoc est illud dictum, quod nonnullorum sermonibus in Aulam, & ad aures Principis relatum, cum risu exceptum est, quia faceti illi rem ita narraverant, quasi GRVTERVS dixisset: *ideo se delegisse domum hanc malè affectam, ut esset, ubi commodius moreretur.* Sed bene GRVTERO vertit, quod optimus Princeps noluit huic fabulæ prius fidem adhibere, quàm GRVTERVM epulis. Ad quas cum vocatu Principis accessisset, jussus est præcipuus ex aulæ præfectis elicere ex GRVTERO, an illud de domo sua mirum dictum agnosceret, negavit GRVTERVS suum esse illo intellectu ridiculo, quo Principi fuerit recitatum, negavit tamen ita, ut simul alios absolveret mendacio, simul genuinum dictum suum vindicaret à falsa interpretatione. Nam responsi ipsius, inquiebat, se non fugere auctoritatem, sed illos fugere rationem, qui de verbis sanis excuderint haud sanum sensum. Id quod in aulis fieri solere nimis frequenter, & more perniciosо, dum illi, qui circa Principes sunt, absentium verba & facta corrumpant in occasionem joci, & ut domino delicias faciant, alios faciant Cercopithecos. Experiuntur autem hanc injuriam multo maximam partem viri docti, quos imperiti Marsyæ, & apud Potentes gratiosi indignis adeò modis deformant, ut & literati & literæ, sapientes & sapientia, honesti & honestas nullo ferè loco habeantur, nisi ludibrio, jurante calumnia, neminem quicquam sapere, nisi qui doctrinam nunquam attigerit. Hinc non solùm totum eruditionis nomen inter illos sordet, sed & convicium est immanissimum appellari doctum. Unde statim ab infantia, quisquis imagines aliquas habet majorum, liberos suos diligenter ab isto vocabulo removet, neque vult, ut sui quicquam proficiant ultra illum modum, ubi virtus incipit. Pingere literam satis est, salutationem figurare loquentia, & gestu necessarium, pilam verò, tripudia, gladium, nummum discere, dignissimum illorum studiis habetur, qui se metiuntur natalibus; itaque coram his, ubi aliquid insigniter, sapienter, graviterque respondetur, nihil eorum capiunt miseri illi mortales, & ob hanc ipsam causam sana loquentes adscribunt delirantibus. Propterea tàm pauci sunt, qui vitam, Rempublicam & in cæteris rectam rationem intelligint. Nec mirum est, nos incidisse tàm in tristia tempora, qui inciderimus in tàm sinistros homines. GRVTERVS hoc dicere voluit, nimiam esse solicitudinem illorum, qui sub omni tecto vetusto suspectant mortem, cum & domus novæ & firmissimæ Regum tui res sua efferant & ipsæ funera; cum tàm metuendum habeas, ne periculosè cadas in aliquo angulo domus securæ, quàm ne tota supra te incumbat domus effœta: cùm hoc ipsum habitaculum, quo nos Natura inclusit, sit omnibus malis ædibus corruptius, neque quicquam nos sæpius elidat, quàm hoc quod metuimus, ne elidatur; cum miseri formidemus magnas moles, & tamen sæpius nos opprimat, quod negligitur, ut innoxium, quàm quod cavetur, ut infestum. Nemo autem tranquillior potest esse in tot casuum varietate, quàm is, qui vitam hanc ita possidet, ut rem arbitrii alieni, & desituram in principium vitæ melioris, ubi beatitas omnem sensum mali excludit, & omnem finem excludit boni. Eò noster adspirabat. Si tamen & vitam hanc in terris tanti putamus, eam quoque GRVTERVS sibi restare defuncto certo præsciebat, ausurus sine mendacio dicere:

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Nam gloriam ingenii felicitate partam tàm nemo illi detractam ibit, quàm ei qui hoc vaticinium sibi dixit prior.

Extant monumenta plurima, quæ pro nobis loquuntur, & mortalitatem defendunt GRVTERO. Leguntur illius carmina variæ ætatis, varii generis, sed quæ venustate quadam peculiari ac propria semper uni respondent auctori. Ubique enim elegantiarum & sapientiæ tantum miscuit, quantum Poëtæ antiquo & Romano esset satis, & cuivis Philosopho-

rum

rum non parum. Et hæc tamen pleraque per ludum tantum & jocum codicillis inscribebat. Ut cætera, quibus amicis gratificatus & gratulatus est, non attingam, sola *Bibliotheca Exulum*, non multo priùs luci data, quam loci auctor ereptus, planè talis est, ut non hominis, sed ipsius virtutis manibus videatur perscripta. Singuli versus, singula sint oracula. Quod si secundum *Neoptolemum Nævianum*, *paucis est philosophandum*, ex hoc libro est philosophandum, quippe molis tam exiguæ, ut vix manum, sapientiæ verò tantæ, ut titulum suum non impleat modo, sed etiam superet. Jam *Inscriptiones veteres*, cum etiam in saxis & marmoribus consenescerent, nec in illa durissima materia durabiles essent, æternitatem, si qua potest esse in rebus humanis, à GRVTERO acceperunt. Non illum sumtus, non labor absterruit & fatigavit, quin omnes monumentorum talium reliquias conquireret; ad quas cognoscendas non opus est tam vago per Europam discursu, non difficultate itinerum, non viatico. Unus liber Romanus orbis est. Sublata sunt intervalla, sublata tot mensium & annorum miliaria: lapis lapidem contingit, & ex eorum tam longè dissitis quadris perpetuus veluti paries factus totum illud simul exhibet legendum, quod omnis peregrinatio quamvis & diligens, & diuturna & non vitâ brevior potuisset desperare. Nihil deinceps peribit, quod superest. Antea semper aliqua injuria potentior erat saxis & ære: semper aliqua pars interibat, erat strages literarum multa: nunc omnibus saxis, omni ære firmius est, quod omnibus latercculis est infirmius: nunc lapidea fides reperitur in papyro, cum papyracea fides ante fuerit in lapidibus. Ipse verò totus *Inscriptionum* Liber una quædam magna est *Inscriptio* GRVTERI, quæ memoriam ipsius cum Consulum, tum Imperatorum memoriâ indelebilem præstat. Nil jam respondeo illis, qui laborem hunc tantummodo laborem vocant, unaque fructum desiderant & voluptatem. Magnorum enim virorum judiciis hæc judicia refutare facile esset, si tam esset necessarium. Manifesta certè res esset, alterius fastidio non fieri deterius, quod per se bonum est. Nec vinum sine honore erit, quamvis aliqui sint, quorum natura cum vino inimicitiam gerit; neque *Zoroaster* fatuus fuit, qui viginti annis caseo victitavit, etiamsi multi plus abhorrent ab hoc obsonio, quam *Pythagoras* à faba. Sic Inscriptionibus etiam istis constabit sua laus, & utilitas, & delectamentum, etiamsi quidam non attingant, quidam tantum attingant, sed nec animo, nec scientia fruendi. Utilitatem si spectamus & intelligimus illam, quam Institores aut Proceres avaritiæ definiunt, fatendum est, nullum hic latere cadaver pro ejusmodi Vulturibus. Sin illam, quæ judicatur ab Eruditis, & temporum, sive rerum antiquitus gestarum curiosis, emolumenta maxima sentiunt hinc sibi nasci, qui talium sunt studiorum. Jucunditatem verò satis etiam intelligimus illo argumento, quod qui lapides hujusmodi nonnunquam effodiunt, paucissimis licet literis Romanis insignes, publicis muris eos includendos tradunt, partim ne rursus aliquando pereant, partim ut ornamento sint, & negandæ imperitiæ. Quid multis? maximo præjudicio debet esse, quod opus hoc *Inscriptionum*, ut supra diximus, Cæsar approbavit. Jam Medicinam librorum quanta felicitate noster tractavit, quanta solertia? Cum enim & libri morbos suos habeant, Medicos habere nihil absurdi est. Morbos autem appellamus omnis generis injurias, quibus valetudo literaria atteritur. Videtis me non libenter artem suo nominare vocabulo, quia simul *Criticam* dixero, paratos mihi video vel imperitos quosdam adolescentes, vel Imperiosos nonnullos senes, qui fastuose succlamant, cui bono? Nam utilium illi sive discipuli, sive doctores ferè opinionem hanc imbiberunt, Criticam nihil aliud esse, quàm libidinem ponendi, aut tollendi in bonis scriptoribus, quicquid aut libro veteri placuit, aut nostro arbitratui. Nec intelligunt, eos qui laborem hunc tractant, si modò tractant legitimè, in omni genere literarum oportere esse versatos. Nihil in divinis & humanis extare debet, quod non illi legerint. Ex ista deinde varietate doctrinæ nascitur illa vis de scriptis antiquis rectè judicandi, aut divinandi, quæ paucis ideò contingit, quia paucis contingit, quod hanc efficit. Sed tamen quæritur, *Cui bono?* ut barbaries, & insulsitas, & caligo, & aliæ mille pestes jubeantur è libris facessere, & locum cedere puris, sinceris, propriis, apertis, & sanis. *Cui bono?* ut bona quæ sunt, possint legi, quæ recondita, penetrari, quæ subtilia, capi. A Critico enim (sic appellamus sanè hominem omnis eruditionis fœcundum) nisi didiceris, quicquid uspiam reperitur difficile aut obscurum, ab alio frustra expectes. Sed tamen *Cui bono hoc?* ut legas quod legis. Nam hoc non est legere, millesimam partem eorum quæ legeris, non intelligere? Sumamus in manum *Senecam*: quoties in luto, quoties in tenebris, in erroribus hærebimus, nisi viam quandam Appiam sternat, lumen commodet, verum promat, quis? GRVTERVS aliquis naturâ acutus, usu exercitatus, veteri doctrinâ inexhaustus. Est enim infinitum quod ipsi debet hic auctor, sicut infinitum fuit, quod ipsi nocuit Librariorum ruditas & stupor.

Confitentur id viri in hoc studio Principes, quorum testimonia cum sine invidia perhibeantur, sine invidia vix leguntur. Fuit tamen ipsi conflictus quidam cum eximio Juris Antistite, dum uterque *Senecæ* ægrotanti manum commodans sui meriti gloriam præferebat. Quod certamen inter ipsos certatum vix possis nolle, quin velis, vix velle, quin nolis. Adeò multum excidebat inter disceptandum humanioris doctrinæ, adeò multum rursus inhumanioris censuræ. GRVTERVS ipse calorem illum juventutis sæpè postea detestatus est. Cum enim optimus & doctissimus ille, quem GRVTERVS paulò vehementius antea tetigerat, Heidelbergam ipse quoque docendi causa venisset, reconciliatio primum inter ipsos facta est, deinde secuta propior notitia, & tandem apud GRVTERVM pœnitentia scriptionis, ut ita loquar, piperatæ. Nam si mihi constitisset, inquiebat noster, *Dionysium* virum esse tam bonum, nunquam quicquam mihi tanti fuisset, ut contra illum manum tam seriò misissem. Audivimus hæc ex ipso non semel, & ideo non omittendum duximus, ut quos prius offendit impetus, nunc delectet judicium. Quid enim gloriosius est, quam quem in literis censorem habueris, eundem habere approbatorem in vita? Quid etiam magis ingenuum, quàm à quo diffideas propter diversas opiniones, eundem amare propter virtutem? Contumaces sunt & superbi, quos nullius facti pœnitet, aut quos cum pœnitet, fateri pudet. Nam istud nonnulli constantiam vocant, nunquam sententiam mutare, & in inimicitiis præsertim, semper ultimum consentire in pacem ac charitatem. Justus & candidus interdum à suis factis dissentit, quoties rectius geri potuisse agnoscit. Morbus humanus est, nunquam cedere, nec interdum sibi dicere: *Hoc non debebas, hoc non ita debebas, illud potius debebas.* Et tamen quidam hactenus morbum vincunt, ut sibi quidem dicant; ut aliis etiam confiteantur, id haud facile impetrant. GRVTERVS apertissimè negavit sibi placere, quicquid placuisset aliquando cum alterius dolore, quasi diceret, etsi inter dissentientes duos, tantum unus sit, qui rectè sentiat, utrumque tamen posse & debere in hoc consentire, ut sine odio, sine ira, sine injuria causam suam tueantur, & utramque bonam faciant humaniter agendo. Hæc mens, hic animus GRVTERI fuit: testis illius mentis, illius animi vox ipsius propria; testis ejus vocis *Ego*, qui præsens audivi, notavi, & tibi, quisquis aliquando læsus es, hic publicavi. Illud planè certum est, nihil verius dici posse, quam illud, quod in ore doctorum est, & in tabernis Librariorum passim legitur, *Seneca Gruteri*, *Livius Gruteri*, *Cicero Gruteri*, *Plautus Gruteri*, *Salustius*, *Florus*, *Paterculus*, *Martialis*, *Panegyrici*, *Historiæ Augustæ*: omnes, omnes GRVTERI. Verè, quia GRVTERVS illos suos fecit demerendo: nisi fortè adhuc rectius *Seneca Senecæ*, *Livius Livii*, *Cicero Ciceronis*, & ita de reliquis dicendum putamus, sed addito semper altero titulo, VINDICIS GRVTERI. Multi enim bonos auctores ita producunt in lucem, ut illorum esse incipiant, qui malè produxerunt, non qui bene genuerunt. GRVTERVS ita produxit, ut singuli extarent in singulis, & quicquid corruperat, mutaverat, expulerat, ætas, librarius, falsarius, restitueretur in integrum, in pristinum, in verum locum. Nempe sicut *Lucius* ille *Madaurensis* nunquam potuisset pecudem in Thessalia indutam (nomen boni ominis causa sileo) rursus deponere, nisi gustatis salutiferis Rosis: ita plurimi Scriptores, postquam pristinam formam mentemque amiserunt malis artibus, non poterant ad sese reverti: nisi GRVTERVS illis opem tulisset. Ideò *Lipsius* nostrum

per-

perfectè in hoc genere versatum. Scaliger quidvis potuisse. Heinsius Rei literariæ columnam. Rutgersius, virum de omni literarum genere supra captum sæculi virtutibus infesti, meritum esse scripserunt. Quales laudes si quis ex cæteris aut ex his ipsis excerpere omnes vellet, in justam Panegyrici mensuram excresceret collecta moles. Nondum dixi de *Suspicionum libris*, in quibus, quod alibi vitium habetur, virtus est. Suspicatur enim, sed non ita, ut temerè conceptis opinionibus de quoquam male sentiat, quæ suspicionis natura est: (pinguibus hæc interfamur) Suspicatur, sed ut sapientes solent de rebus obscuris, dum mentis quadam sagacitate non communi latentia scrutantur, & in ipsis velut cubilibus deprehendunt. Alius artem vocaret divinandi, quippe quod non est & fuit, quid fuerit exsculpere, & ut iterum sit efficere, ad divinatorem pertinet, aut alioquin hominem cæteris diviniorem. Atqui hoc illud est, quod GRVTERVS suspicatur. In titulo igitur modestia, in libro interiore perspicacissimi ingenii pariter, & judicii perpetuum exemplar. Omnes capit, quibus aliquis captus est, omnibus probat, quod dicit, quibus modò candor est, ut probent. Varius, elegans, disertus, argutus, doctus, facetus, serius. Nullius equidem *Antiquas*, aut *Electa*, *Conjectanea*, *Præcidanea*, aut quicquid callidarum inscriptionum est, contempserim, absit flagitium! Sed bona cujusque venia dixerim, GRVTERVM in suis *suspicionibus* non inferiorem gloriam cæteris esse consecutum. Eam verò partem gloriæ, quis dubitat, quin multo sibi auctiorem fecisset, si nobis reliquos *libros triginta*, qui præparati magis quàm parati erant, ante obitum foras dedisset. At illi quibus nunc in latebris latent? quo pulvere pulverant? quo in situ sita sunt? Illic scilicet, ubi *Aranea* (scriptum est GRVTERI civile nondum editum) araneis prætexta sordescit; ubi *Commentarius in P. Syrum* damnatas agit noctes; Ubi nova *Inscriptionum Veterum Collectanea* jacent in deserto oblivionis; ubi cæteri libri, qui publico destinati erant, privatis angustiis strangulantur: ubi tot Historici, tot Poetæ, per margines, per vacua linearum intervalla doctissimis Annotationibus, Observationibus, Locis Communibus oppleti, quasi maculati spernuntur: ubi tot *Adversaria*, tot alia scripta seria aut ludicra carent usu & honore.

Multa enim talia vir studiosissimus concinnaverat in ocio Palatino, quæ deinde perfici non poterant, postquam exitiosissimum Germaniæ bellum illas quoque terras, in quibus GRVTERVS aliquam multos annos consederat, apprehendit: terras, ubi simplicissima Pietas, ubi optima studia, ubi Justitia sanctissima devotione colebantur: terras, ubi Exules propter Religionem ex avitis sedibus fugati, & Patriam, & Religionem sibi redditam gaudebant: terras, ubi Fides & Candor Commerciis humanis securitatem summam muniebant: ubi Viri Illustres, Viri Docti, Viri Prudentes numero densissimo, vel crescebant, vel inserebantur, ubi fertilitas immensa facilè longinqua, propinqua, superabat omnia: ubi vinum, ubi fruges, ubi flumina, montes, sylvæ, ignobilitatem faciebant aliis provinciis domi nobilissimis: ubi denique longa serie Principes potentissimos, fortissimos, optimos Regia *Palatinorum* stirps educabat. Sed quod hæc omnia non sunt, ut fuerunt, nulla major causa est, quam quod ita fuerunt. Nihil enim intutius est, quàm quod à pluribus laudatur. Cùm igitur incommoda nostra occasio essent odii, & bellum prædæ, & successus cupiditatis, ab Occidente primum validus Hostis emissus, itineri suo propiora in Conspectu nostrorum *Confœderatorum* subegit, neque pinguissimus Exercitus, qui tunc adventantibus objacebat, quicquam contra conatus est. Idemque non multo post totius Patriæ nostræ pretio pacem teterrimam, & nisi fama suo more mentitur, præmium redemit, nescio quod aut quale. Vulgus enim quicquid verisimile est, pro vero liberè loquitur. Copiis itaque *Confœderatorum* statim dimissis, complexus est hostis quicquid potuit, antequam gentilis noster è *Bojis*, & *Treboccorum Antistes* ex Alsaticis advolarent, & fieret, quod Græcorum proverbio fertur, *communis Mercurius*. Nesciebamus illo Tempore, quibus consiliis res gereretur, omnia suspecta erant proditionis, eaque de Causa senes & quibus aut plus periculi, aut minus animi, in finitimas ditiones urbesque recesserunt. Inter illos fuit noster GRVTERVS. Discessit bonus Senex cum paucorum librorum sarcina *Brettam* ad Generum, & cum hostis indies longè latèque grassaretur, *Tubingam*. Quam urbem quoties cogito, totus in amorem, in laudes, in gratias uberrimas effundor. Quantum enim colui & dilexi GRVTERVM (colui autem & dilexi in patris loco) tantum colere & diligere debeo illos, qui GRVTERO suam urbem, suas domos, suos animos, & cæteras humanitatis fores tàm comiter aperuerunt. Nunquam satis explicare potuit gratissimus mortalium, quibus officiis illum Academia tota, & quicquid illic est clarissimorum virorum cohonestaverit. Nihil publice, nihil privatim cessatum est, aut omissum, eamque laudem luxuriantissimæ comitatis ipse GRVTERVS pridem promulgavit una cùm *Bibliotheca Exulum*, in cujus limine, pulcherrimam charissimorum nominum tabellam memoriæ causa suspendit. Et cur meam quoque felicitatem dissimulem? quem in eadem urbe hospitali apud eosdem hospites quidam fluctus horum temporum exposuit, & earum laudum testem fecit, quas GRVTERVS tantopere probavit. Itaque, quemadmodum prius illi, sic tunc mihi credidi. Confiteor enim illorum humanitate factum esse, ut me postea haud paulò delicatiorem senserim, quoties aliis in locis aliorum superbia fuit devoranda. Quippe contemnere, dedignari, fastidire, tam frequens plerosque inter homines, quos aliqua dignitas afflavit, quam usitatum illic bonos amplecti. Nullum autem officium magis hæret animo, quam quod non ubique præstatur; neque quisquam accuratius meminit benefactum aut injuriam, quam exul aut miser, siquidem illud calamitatis sensum hebetat, hæc acuit, & inflammat. Utique facilius solemus ferre maximum onus, quod nobis primum imponitur, quam aliud minimum, quod maximo adjicitur. Contra bonus vultus, bona oratio, bonus animus solatio sunt oppressis, etsi præter ista nihil accedit, quod magnopere mala emendet. Cum talibus dum GRVTERVS vivit & amicitiæ vices suaviter alternat, quatuor hostes in totidem prædas Palatinatum distrahunt. Infestior *Heidelbergam* obsidet, funestat, spoliat, privatas, publicas, opes raptat, tantum non domos, arces, & quicquid invidetur, transportat. *Bibliothecam*, quæ per totam Europam vix parem habebat trans Alpes usque, *Pontifici* dono mittit, & irreparabile decus non tantum Palatinatui, sed & sibi & toti Germaniæ ereptum in montem Vaticanum relegat. Variis exercitiis vexatæ, & reliquæ Bibliothecæ, quas multitudo gregalis aut laceravit, aut disjecit, aut vilissimo pretio divendidit; paucæ relictæ sunt Dominis, nullæ sine damno. GRVTERIANA licet non tota perierit, passa tamen est cladem insignem. Quædam enim discerpta, quædam fædata, quædam conculcata, quædam mutilata jacebant: Alia volumina supererant, alia, sine quibus relicta non erant integra, sæpe desiderabantur; quærebat liber librum. Miserabilis in illo facies, quod libros, præsertim nondum ligatos, & reliquam chartarum turbam, in qua nihil erat, quod non merebatur clementiam, alii substernebant equis, alii sovendi, aut coquendi causa ferebant in ignem. Focus & furnus ardebant libris; equile candebat paginis, obscœnitatibus jumentorum conspurcabatur innocentissima doctrinarum suppellex, fiebat papyraceus fumus & fimus. Dolet recordari tot summorum virorum epistolas, quas ex toto orbe nostro GRVTERVS receperat propè innumeras, sic fœdè conflagrasse, aut turpibus aquis maceratas tàm viliter tabuisse; quam solam jacturam equidem pluris taxo, quam ullam opulentissimam rapinam auri per dies illos tormentis & sævitia repertam. Satis maturè nuncius hujus rei ad Generum GRVTERI *Brettam* delatus est. Is continuò ad illustrem quendam ex Ducibus literas dare, rem aperire, eum precibus obtestari, ut tantam perniciem imperio sisteret. Sed nihil effectum est, quia contra torrentem illum militarem nullus valebat obex, & Ducum jussa quanquam tunc audiebant milites, non auscultabant. Post dies paucos interjectos Gener ipse profectus Heidelbergam, invenit domum inversam, Bibliothecam per pavimenta dissipatam, aut in fortuitos cumulos hinc inde collapsam. In stabulo & circa focum tristes conspiciebat reliquias barbaricæ immanitatis.

Et quia de perditis laborare perdita cura videbatur, superstiti gregi, quantum potuit, consuluit, simul obsecratum ivit *Romani Præsulis Legatum*, qui occupandæ Archibi-

bliothecæ causâ missus erat, ut ex illa GRVTERIANOS libros liceret excenturiare; Amanuensis enim GRVTERI non paucos eosque GRVTERO in usu familiares, suo judicio in armarium illud publicum transportaverat. Annuit precibus *Legatus*, sed instar Jovis Homerici, partem dedit, partem negavit. Nam de libris quidem editis assensit, ea tamen conditione, si *Tillius* rem approbaret Chirographo; *Tillius*, qui tunc temporis nunquam certus erat in certo loco, proinde frustra quærendus. Et hoc ipsum annuere animum prodebat abnuentis. De Codicibus autem manu GRVTERI scriptis simpliciter à Pontifice sibi injunctum dicebat, ut omnes conquireret, eosque vel ex Muséo GRVTERI vel ex Bibliothecæ Palatinæ contubernio cum cura erueret. Cum Tillius hinc inde volitaret, & universum iter flagraret latrociniis, cum libros scriptos disertim sibi vindicaret Romanus, totum depositum hoc remansit apud prædam capitalem. Poterant hæc animum quamvis firmissimum conterere, sed non æquè mentem GRVTERI. Nihil ad nostrum ista, nisi quod more generosorum pectorum stomachatus est aliquantulum, aliquantulum jurgavit cum iniquitate, cum cupiditate, cum bello. Non gemitus, non lamentationes, non humile quicquam edidit, nec descendit ad pedes fortunæ, cum ipsa supra caput assurgeret, sed velut è scopulo levitatem illi, vanitatem, furacitatem, infamiam exprobravit. Posthæc iterum se composuit, & intra quietem suam recessit: Iterum studiis ocium dedit, & injurias oblivioni. Quod si tamen aliquis casus aut sermo cum amicis memoriam talium illi renovaverat, læto vultu de suis damnis disserebat, spretor jam præteritorum, nec minus gravibus dictis, quam liberali risu admirandus. Detumentibus interea nonnihil in Palatinatu rebus, Tubinga *Brettam* reversus apud Generum vixit, donec is, quod in religione non congrueret cum dominantibus, præfectura sua decedere jussus est. Sub illud enim tempus atrox mandatum de recipiendis ceremoniis Romanis, & abjicienda veritate sincera fremebat, cum paulo prius civibus Brettanis arma fuissent ademta, nequid in illis fiduciæ restaret, si premerentur inclementius. Solent enim haud rarò metui, qui lacessuntur obsequiis extremis. Ibant per urbem Inquisitionis ejus ministri, domos scrutantes, & cubilia, & arcas, & quicquid clave custoditur. Ventum erat in ædes etiam, ubi GRVTERVS tunc, absente Genero, cum Filia solus agebat: petebantur arma: GRVTERVS qui jam tum cum suis aliò, & inter istas postulationes absentiam Generi cogitabat, diffitebatur æquum esse, ut domino nescio & longinquo, res ulla contrectaretur. At manipulus ille Martius, mandata, minas, vim loqui: noster jus, fas, fidem respondere, hæc ne violent, monere. Effractor contrà tempestatem militarem intonare, vultuque & verbis ignescere: noster nihil terreri, sed nefas illi constanter oggerere, donec Decurionum unus protervus latro, hastam bipennem contra senem inermem misit, & vano successu pro GRVTERO parietem sauciavit. Dei beneficium fuit, quod ferrum scelerato carnifici non obsecundavit: impium vero animum non illic concepit, sed attulit, qui tantum scelus fuit ausus sperare:

Illum & Parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis;

Illum ego, si nomine ullo notus, aut dignus esset, detestabilem atque execrabilem posteris facerem, & in vulnere parietis aliquando, cum libertas rediisset, ignominiosum hoc inscriberem:

IVVENIS THRASO,
INFAMIS PARRICIDA,
GRVTERO SENI
INNOCENTISSIMO VIRO
QVOD FACERE VOLUIT,
PARIETI FECIT.

Nam & *Crates* olim à quodam *Nicodromo* in faciem percussus, satis ad infamiam cædentis arbitratus est, si chartam in fronte circumferret cum inscriptione NICODROMVS FECIT. Virum autem doctum & justum, senem & inermem occidendi causa ferro petere, plus multò infamius est, quàm icere Cratetem pugno. Barbare, si virtuti non pepercisti, quam oderas, pepercisses saltem senectuti: vel si quis adhuc respectus in te boni fuit, saltem cives meos audivisses, qui crudelitatem tuam laudibus GRVTERI, nisi bellua es, mitigassent. Horum nemini bonus senex gravis fuit unquam, nemo illius injuriam, nemo superbiam, nemo vocem cuiquam molestam allegavit. Vivebat domi sine strepitu, foris sine offensa; obviis humanus & affabilis, benignus egenis, Plebejo & Senatori diversa similitudine gratus, dum in utriusque descendit argumentum, aut adscendit, & secundum judicium sapuit amborum. Audeo referre, quod per idem tempus evenit, non speciosum quidem ad narrandum, sed hoc loco opportunum. Hiberno quodam die, cum terra splenderet nivibus, & cœlum sole, GRVTERVS somnolentiam cubicularem detersurus ambulatione suburbana, processit ab urbe Brettâ paulò longius, & in ipso descensu, quà collis modicus difficilius admittebat sursum nitentes vecturas, puerulum conspicatur rustice braccatum, & toto corpore contra frigus densa canabina munitum: collegerat autem in proximâ sylvâ satis gravem lignorum fascem, quem humi per gelatum nivis dorsum alligato fune non incommodè trahebat, nisi quod jam fessus & anhelus, in via perpetuis usibus lubrica, sarcinam contra collem provehere frustra laborabat. GRVTERVS cum jam propius venisset, intellecta difficultate lignatoris, interrogat, *cujas & cujus?* Respondet ille; Domine, civis sum Brettanus, CÆSARIS (ita patrem nominabant) filius. *Ergò profectò*, inquit GRVTERVS, *piaculum mihi sit, tibi negare auxilium.* Nam & ego CÆSARI & CÆSARIS filio obsequium probare debeo; & cum joco deripit pallium, lignis imponit, & apprehenso mox fune, senex puero, & puer seni vires sociat, donec in planum subvecta materia iterum cedebat uni. Gratiis actis puer domum pergit, & ad patrem ingressus GRVTERI deprædicat festivum alloquium, & quam tulisset ille suis laboribus tempestivam opem, lætus exponit. Hæc qui velut minuta, & memoriam non merentia contemnit, is forsan apud animum suum non reputat, quantum adhuc sibi desit ad facti tantilli pietatem. Puerum expedire cum frigore luctantem & onere, nihil magni est. At tu fortassis prætериisses. Ito per reliquum charitatis ordinem, reperies semper aliquid non magnum: At hoc & illud & rursus aliud non magnum, tu fortassis nunquam in animum induces præstare. Quæ si magna non sunt, cum observantur, magna fiunt, cum negliguntur. Minuta res est homini opulento denarios interdum egenis porrigere. Minuta res est justam mercedem operariis pendere: Minuta res est obvios civili salutatione afficere: at tu fortassis ita durus es, ut nullius paupertate molliaris; ita sordidus, ut alienas operas ter circumciso pretio redimas; ita fastidiosus, ut patriciam vocem nunquam minori indulgeas. Quæ si tu facere per ingenium tuum posses, protinus magna tibi viderentur, nec meministi, talia minora minimis fieri, cum qui facit, magni putat. In aliorum animis laus nostra nasci debet, in nostris virtus. Nec GRVTERVS unquam per hæc gloriam captavit: Nobis permissum est in illius virtutes ambitiosiùs inquirere, nec earum quicquam, si per copiam liceret, obliterare. Cùm jam Brettæ novus cultus, novi homines, nova impotentia civitatem urgerent, aliò migrandi consilium certò fecit. Nam ipsum quoque Juvenes quidam ex familia *Jesuitarum* disputando sollicitabant, quibus ille primum placidè respondit, & semel etiam sententiam *Augustini*, quam non satis memoriter ipsi meminerant, ex libro præsenti ostendit, docuitque aliis verbis & alio loco extare, quod ab illis & pro illis fuerat allatum. Deinde cum nec dum desisterent, quin ipsum talibus obtunderent, libertate resumta, *mirari se dixit, ubi frontem reliquissent semibarbatuli juvenes, & sperent docere senem sexagenarium, qui plures Patres in vita legerit, quam ipsi saltem vidissent. Jesuitas senes & primarios* (SCHOTTVM nominabat & SIRMONDVM) *sibi mutuo honore literarumque commercio coli: nullam tamen ab istis de Religione sibi molestiam exhiberi.* Erat enim noster alienus ab istis velitationibus, quas nec in aliis probavit. Nam certamina talia semper ferè istis eventibus finiuntur, ut acerbius fiat odium inter partes, & nemo per illa melior. Mira res est, quod commissionibus factionum, argumentorum versutiis, clamoribus, conviciis, mutuis execrationibus Deo nos gra-

tiores fieri putamus, cum amor, & pax, & mansuetudo, & præcedentium mater Fides nobis rem conficiant, quorum tamen postrema cura habetur, & inter disceptandum nulla. Hæreses odisti? Dicam quæ maxima sit, *Hypocrisis*. Hanc prius exuamus. Quoties enim quisque de gloria Dei prius cogitat, quam de sua? Quotusquisque melius vivit, quam disputat? Quicquid dicas aut excipias, hanc hodie pietatem habemus. Ita vivitur. Non disquirere volumus, sed vincere; non instruere; sed cogere, non in cœlum nos mutuò promovere, sed detrahere. Amare verò Deum & Proximum, quod Pietatis est compendium, tàm procul à rixosis factionibus abest, quàm nos à mutua pace. Hinc in Christiano orbe bella, cædes, exilia, egestas, fames, exitium. Sic amatur Deus, sic amatur proximus, sic denique disputatur. Hûc accedit quædam alia dementia, quæ frigere eos dicit in Religione, quos in contentiones non vident ardescere. *Pontificio* non oblocutus es? *Pontificius* haberis. *Lutherano* non reluctatus? *Lutheranus* audis. *Calvinistæ* non insultasti, *Calvinista* es. Istis enim nominibus invicem discedimus. Novi qui de GRVTERO propter hanc ipsam causam Transitionem sparserant. Sicut & *David Chytræus*, quod in *Academia Rostochiana* GRVTERO, qui tunc ibidem Suetonium legebat, conjunctior erat, & studium rixandi adversabatur, *Calviniani* nominis invidiam sustinuit. Itaque

Effugere non est hosce Disputatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc & illinc, usquequaque, quacunque.

Quos ut GRVTERVS nunquam videret, & simul ab aliis seculi malis remotior esset, in occipitio montis illius, qui Metropolim Palatinam prætexit ab Austro, prædium emit & secessum. Id inter sylvas positum proximas culturâ spatiosi fundi solam illam partem montis nudat, frugum & fructuum capax, pecori & pecudi benignum: Non hic lac æstate novum, non frigore desit. Nihil hic strepitus, nisi quos ætate sylvicolæ volucres, aut avitia domestica, aut mugientes balantesque divitiæ, aut sibilantes ventorum lasciviæ reddunt. Ad hoc secretum GRVTERVS omnibus desideriis festinabat, quamvis ipsa *Bretta* non mediocriter etiam suo quodam genio eum retinere videbatur. Situm enim commendabat humilis & porrectus clivus: circa muros gratiam habebant horti, prata, vineæ. Sedes ipsa nobilitatem auxerat partu *Philippi Melanchtonis*, & notabili constantiâ, quam non solum contra vicinum quendam Principem olim, sed & nuper ostendit contra hostem novissimum, dum prope postrema deditionis necessitatem accepit, diuque nihil horruit exempla vicinorum, quos fides sua peslundedit, jugulante *Bavaro* milite, quicquid resistendo docuerat, se non posse prodere Domino suo sacramentum. Et hoc quidem tempore spectata fuit præcipuè prudentia, & vigilans cura OSWALDI SMENDI, qui solus præfectus urbis tunc, & ipse Gener GRVTERI, vir nunquam civibus ob merita pulcherrima, nec nobis ob insignes virtutes, inter laudes Soceri oblivìscendus. Tandem igitur noster *Brettâ* discedit charus à charis, sed tamen cum charitatibus. Ventum erat HEIDELSHEIMIVM, quod oppidum est vetus, nuper dimidia sui parte cinefactum, & paucis milliaribus Brettâ divisum. In eo Senatores, cum de GRVTERO intellexissent, illicò venerunt, hospitem tantæ famæ salutaturi, relictis interim domi mandatis, ut prandium quàm optimum instrueretur. Rogabant deinde GRVTERVM, ipsorum frugalitatem ne sperneret, veniret pransum. Id honori sibi futurum & gaudio. Obsecutus est GRVTERVS, & in illo prandio frontem explicavit hilariter. Vehementer enim delectavit illum comitas inexpectata, nec in oppido nuper exusto & direpto, quodque vix trivialem literaturam noverat, suum nomen vel auditum esse unquam, vel amari credere potuisset. Hactenus felix hujus loci memoria, sed non longè post sanè quam tristis & luctuosa. Nam cum GRVTERVS, postquam Heidelbergam venerat, deesse sibi quædam intelligeret ad maturandam editionem *Livii* postremam, à Genero petiit, ut *Brettam* recurreret, ubi lucubrationum suarum instrumenta servabantur. Nec quicquam ille cunctatus, ut est homo promptus, ivit, & plaustro necessariis rebus onerato relegere cœpit ad Socerum iter. Vix aliquot milliaria promoverat, cum ipsas prope ante portas *Heidelsheimii*, quà jam transiverat, tres equites Galli aggrediuntur venientem ex improviso: nec mora, sclopeta promunt, ignem & ictum edunt, capiti vulnus destinatum pileo & pilis adigunt, interfecturi nisi ocyus ex equo desilisset. Protinus inde assultant Amanuensem, & quia hic plaustri obtentu videbatur moliturus sclopetum, quod serebat, simul ne prædam argentariam fuga frustraretur, binis glandibus miseri adolescentis pectus trajiciunt, quod volunt, rapiunt, avolant, impunè sunt. Nam etsi postea rescitum sub quibus signis mererent, etsi ductori scelus indicatum, nihil tamen aut latrocinium, aut homicidium incruitanimadversionis. Hac hodie disciplina gaudet militia. Commovit hic casus GRVTERVM non mediocriter. Nam & Generi periculum, & nefaria cædes pariter consternabant. Erat enim interfectus ille Juvenis admodum dexter in omnibus, quæ mandabantur. GRVTERI manum expeditè, quod inexercitatus haud facilè præstiterit, & exprimebat literis optimis, cætera studiorum & militiæ non inexpertus, nec GRVTERO indictus in præfatione *Liviana*. Sic hac quoque calamitate defungendum fuit. At *Heidelbergæ* magni restabant stimuli, qui publicas & privatas illi miserias refodiebant. Totus habitus urbis mutatus erat. Bibliotheca Principis nusquam, amici nusquam: Ubique violentia; nulla fides; adde quod nec diuturna sedes inter tot adventitias leges, præsertim illas, quas qui non servat, melior est, quam qui servat, & in quibus conscientia jus habet vetandi. Nam Religionem suam qui non *missam* faceret, nemo tolerabatur. Viennenses quidem aliquot amici, quos Deus sospitet, promittebant nostro libertatem, si Cæsari per literas supplicaret. Sed verebatur GRVTERVS, ne Rei Palatinæ usurpatores, quibus Heidelbergæ suberat, iniquos sibi faceret, si statim Cæsaris indulgentiam imploraret, præteritâ gratiâ propinquiori. Statuit igitur prius hanc tentare, si quid fortè posset obtineri sine molestia Imperatoris. Sed dum *Cancellarium* eo nomine compellatum venit; admissio negatur per servulum. Jubetur alium nescio quem adire Vicarium, cui quid venerit exponat. GRVTERO hæc dedignatio non placuit, & vilitas habebatur in limine rejici, nec ominari bene principium permittebat, quod fieret per repulsam. Redit igitur domum suam, redit in consilium cum animo, qua ratione moderari posset fortunam cavillatricem. Dum hæc aguntur, domus montana, quam in secessu suo curaverat ædificandam, facta fuit habitabilis. Illam igitur Heidelbergensem, quæ totius civitatis loco amœnissimo, si quid judico, sita fuit, omittit, & cum Genero cæterisque pignoribus in solitudinem migrat, relicto tantum veteri custode, & multorum annorum famulo *Caspare Schedio*; cujus nomen in aliqua lacinia memoriæ *Gruterianæ* meritò videtur apponi. Per tria namque decennia, haud multò minus in Bibliotheca Principis, primùm *Melisso* propinquo suo, deindè GRVTERO liberalem operam navavit. Homo non multùm infra ætatem GRVTERI, notandi peritus, cætera numerandus inter rudes, sed profectò quem censeres cum Varrone suo domestico de literis certare posse. Cum in Bibliothecam ventum erat, totum illum Senatum Populumque librorum, sicut Cyneas Pyrrhi legatus, Patres & Cives Romanos suis nominibus persalutabat. Statim illi locus & loculamentum in promptu. Jam Patriam insigniorum codicum, unde advenissent; pretia, quibus constitissent; dignitatem, quâ venerabiles essent, mirè callebat. Vultus illi serius, quasi cum Avo Crassi de vitando risu sponsionem fecisset, sermo gravis & qualis decet imperantes. In his tamen nihil affectabat, suos sibi natura dederat mores ab ingenio. Si quid ipsi videbatur, id valde videbatur, ne domino quidem dissimulaturus, si quid minus probaret. Anxius in officio & superstitiosus fidelis ad unguem, compositus & ordinis amicus, præcipuè frugalis. Per aliquot annos sibi solus familia, sibi dominus, sibi contubernalis, sibi coquus, nisi cum malebat jejunare, aut cœnare sine fumo. Stoicus non institutus, sed natus. Nec quisquam illum videbatur dimovere potuisse ab illa consuetudine vivendi. Rogaverat illum *Smendius*, ut emigraret in suam villam, & illius commoditatibus secum frueretur, utpote jam vetulus: Respondit *non esse suum tam commodè cum alterius incommodo vivere*. Ergo offerebat ipsi legumina, fructus & alia,

quæ ruri nascuntur, respondit, *ea esse morbis officiosa, sibi habendam rationem valetudinis, nec ægrotare sibi libere, quod insalubre sit, nec licere, quia sumtuosum sit. Medicis enim non sufficere loculos Schedii.* Semper advocationem inveniebat, ne viveret alieno. Cum juberetur ad aliam Religionem transire, aut exire foras, *hoc malo*, inquit, *quam illud. Si non licebit vivere in urbe, licebit in agris aut in sylvis. Aliquid semper Deus suppeditabit radicis aut herbæ, quod Spiritum hunc alat, non diu moraturum.* Aliquando cum lues Heidelbergæ civitatem venenasset, & ipse febriculam vesperi nactus plane crederet, se publico morbo lethaliter infectum, clausis diligenter cubiculi foribus per fenestram aliquem ex notis monuit, se pestilentia correptum nunc cubitum ire, si quis se conventum velit cras, hic inventurum mortuum. Hoc voluisse, ne nesciret. Invenerat eum Smendius aliquando mane, cum dies nondum emersisset totus è nocte, obsoleto bardocucullo velut vagina tectum, ut empusam aut larvam nocturnam posses suspicari, rogat itaque *Smendius*, in quod Spectrum se transformasset? *Sic*, inquit, *munio domi bonas vestes. Vobis ditibus, qui talia ridetis, facile est vetera novis mutare, nostrum est nova veteribus tueri.* Profitebatur etiam nonnunquam ingenium, cum *Smendio* rus eundum esset, ubi dicebantur milites vagari, qui graviores solebant discedere, quam venire, paratos aliquot viginti nummos æreos, quibus hodie pro calculis utimur, clàm *Smendio* condidit in manum, & *hos*, inquit, *cum in fures istos incideris, pro veris nummis, rapacissimis illis nebulonibus in terram objice. Interim, dum ipsi ruunt in prædam, tu subditis calcaribus volucrem equum in fugam age, salvis lumbis, salvis nummis.* Adeò solicitus erat pro salute herili, nescius quanto versatiores sint in his artibus, qui vivunt sub signis quàm qui sub umbra.

Sed revocat nos GRVTERVS in suos fundos. Illic optimus pater totis conatibus agricolam induit, ocreas rusticas contra lutum emit & aquam, cucullum contra sævitiam aëris & ventorum comparat, hortos plantis, agros frugibus dividit, rusticatur, villicatur. Assueverat enim à multis jam annis huic voluptati, ut hortos coleret, herbas nosceret, plantas, olera, flores sereret. Sæpe invenimus illum manus habentem nudas ad cubitum, sordidas ab humo, sæpe palâ, sæpe rastro graves. Non enim sic in hortis versabatur, ut solent delicati, qui lumina tantum pascunt, & naribus blandiuntur, quos fructus juvat, labor non juvat, qui sub vino nascente vinum bibunt, & epulandi causa sub umbras adducunt suas umbras, qui nunquam terrâ inquinant candidas & illas

Cuniculi capillo,
Vel anseris medulla vel imula oricilla

molliores manus ac vestes; quibus ad minimas molestias in ore est: *lassus sum, morior calore, sudor me necat, pulvis suffocat, occidit frigus.* Nostrum delectabat in labore fructus, & in fructu postea labor. Ille manibus suis infodiebat, quod debuit nasci, extrahebat, quod nocuit nascendo. Jucundum illi non tantum terram tractare, sed etiam lætamen. Risimus aliquando, cum in stabulo excrementum equinum tolleret, & odore laudato, *malle se diceret hoc olere quàm pyxides è vomica peregrinæ capreæ pretiosas.* Adeò honestius ducebat agricolam aut pecuarium esse, quam voluptuarium. Sed in villula morbus illi citò talibus exercitiis interdixit. Repetebat enim illum vetus malum, quod vivente adhuc *Henrico Smetio*, cujus GRVTERVS Gener erat, primis offensis apparuerat. Fuit autem vertigo capitis è siccitate cerebri, sicut *Smetius* cum *Posthio* judicavit, orta. Et quia *Smetius* aliquid Apoplectici metuebat, sanguinem tum primùm misit in pede, nunquam prius id facere, nec deinceps iterare solitus. Nam & è medicinis non libenter reparabat valetudinem. Abhorrebat imprimis ab illis tot mistionibus, simplici curationi amicior. In morborum principiis non illicò consulebat Medicos Sed inter ambulandum obviam aliquam herbam aut radicem notæ salubritatis ita crudam, haud uno restitutionis experimento manducabat. Idque sic evenisse quodam gratiæ divinæ interventu testatum reliquit in Adversariis suis breviter ac velut per indicem notatis. At morbus ille vetus & princeps subinde ad ingenium redibat, manifestis etiam crescendi gradibus deprehensus. Nam ultimis annis propè perpetuus fuit, & exquisitè molestus, nec somnum interdum capere passus, nec laborem. Hunc tamen plerumque vindicavit, & studiis, etiam morbo rixante, tempus indulsit, sed majori patientia, quàm fructu, nec sic tamen sine fructu. Semper enim aliquid meditabatur, quod publico prodesset. Nam per illos ipsos morbidos annos præter *Bibliothecam Exulum*, duo *Florilegii magni volumina* procudit & *Livium* cum *quinquaginta* aliquot *Dissertationibus ad Tacitum* feliciter exire jussit. Ne tunc quidem curis rusticanis abstinuit, cum eum *Hepaticus* ille morbus *& Vertigo*, totusque comitatus malorum infestissimis machinis oppugnaret. De serendo locutus est, de plantando. Loca, terram, cœlum consideravit. Senem ægrum, vicinum morti, ac animam tantum non in ore gerentem quis vidit ambulantem, prandentem, disserentem? Sic visus est GRVTERVS. Quid mirum si communi more non ægrotavit, non mortuus est, qui communi more non valuit, non vixit? Lectum enim non delegit, nisi postquam sensit illud appropinquare, quod jacentem aut invenit, aut facit: cumque jam tempestivum esset, monstrato lectulo, *hic*, inquit, *moriar.* Incubuit itaque, secum iter suum meditatus est, per fidem nihil timuit, per Christum nihil habuit timendum. His enim duobus firmamentis (sive placet unum vocare) nitebatur. Neque tum demum deprehensus est à morte, sed ipse multò prius deprehendit mortem non occultis vestigiis venientem. Itaque *mundum dixit non amplius pertinere ad suas curas, cuncta se resignasse Deo, cujus ad infinitam misericordiam se nihil afferre, quam animam humilem in agnitione sui exultantem in merito Christi.* Ita sensit, ita locutus est, ita scripsit. Inter hæc obdormivit, exspiravit. Durum verbum, durum hercule, quodque solum vocem meam hic sistere posset, quod solum efficere, ut orationis naufragium in portu facerem, & repentino silentio exiguum illud, quod restat ad perorandum, per summum dolorem sepelirem. Sed confirmandus est animus vel ideò, quod qui constantiam præcipuè laudavit in vivente, haud dignum facinus admitteret, si parum constanter honorem exequeretur defuncto. Narro tibi, Sidus nostrum Palatinum, è densis conjurationum nubibus aliquando rursus emersurum, cui GRVTERVS ita charus habebatur, ut in mediis adversitatibus illi suggereret spem meliorum. Narro tibi, *Groninga*, quæ GRVTERVM paulo ante obitum, & mox sub extremam ejus horam ad Professionem Historiarum & linguæ Græcæ benevolentissimis litteris evocasti. Narro tibi, *Dania*, quæ votis paribus illum, & conditionibus invidendis, non ut doceret in Academia, sed ut splenderet, exoptasti. Narro vobis, magni illius *Francisci Bonnæ Digvierii* amicis & consiliorum consciis, qui sicut *Digvierius* antea GRVTERVM humanissimâ scriptione tentaverat, ut auspicia tanti Herois sequeretur in Galliam, sic ipsi propriis desideriis eundem ad obsequendum, hortabamini. Narro tibi, Amplissime *Claudi Expilli*, magni Regis magnum decus, qui Nostrum in illas partes tuo quoque suffragio vel præcipuè trahebas. Narro tibi, Nobilissime *Carole Perinette Maugarniaci Domine*, qui GRVTERVM *Gratianopolim* invitasti, ut extra Germaniæ turbas in vestris oculis, in ulnis, in prædiis, in communibus fortunis vestris viveret. Narro Vobis, Eximii per Europam viri, qui amore cum GRVTERO certastis & literis. Narro vobis, inquam, tristissima veritate, GRVTERVM frustra nunc sperari, frustra optari, frustra vocari. Abiit, abiit illuc, ubi multæ dicuntur esse habitationes, ubi magnus Amicus & Frater noster vivit & regnat, ubi sapientia non docetur, nec discitur, sed cernitur & scitur. Ubi professio communis est & æterna, laudare; ubi stipendium sempiternum, vivere; ubi nec Proscribens, nec Proscriptor; ubi nulla librorum cura, sed supra Bibliothecas omnes, supra cunctas humanas æstimationes, unus, optimus, maximus, sanctus liber, in quo nomina nostra scripta sunt inter hæredes vitæ Cælestis. Ubi non horti nostri, non rura nos delectant aut exercent: sed ubi nos ipsi fructus sumus, & arbores satæ ad ripas aquarum, quæ fructum suum suo tempore ferunt, & foliis comant semper virentibus. Eò, eò concessit ille tot expetitus egregiis factionibus, quam litem Deus sapienter decidit, & quod invidiâ solum carere poterat, suum bonum confiscavit. Id

quam-

quamvis à Justo juste factum est, quamvis dolere quasi expostulare est: tamen sine querela, sine gemitu nobis tam chari capitis jactura non abibit. Ignosce nobis, rerum humanarum summa & liberrima potestas, quod tuum tibi reddere nunquam possumus, quin affligamur. Ignosce, si quid & mihi deinceps redibit in præcordia. Quoties enim liberos GRVTERI, quoties interiores Amicos ejus, quoties me, quem non postremo loco dilexit, inspexero, nihil profectò obstabit, quin ipsa solatia vulnus utcunque obductum rescindant. Nunquam patriam nostram, nunquam tuam in illa, GRVTERE, domum, nunquam montem illum agellis tuis suppositum, nunquam monumenta tua meis oculis objiciet Fortuna, quin me objiciat simul acerbissimo dolori. Quoties etiam seculum hoc infidum, intutum, fucatum, bilingue, superbum, rapax, avarum, & quicquid nimis verum est, cogitavero; toties in mentem mihi revocabitur tua fides, tua sinceritas, tuus candor, tuum illud verum os, tuus ille modestus animus, tuum illud justum, benignum, aureum pectus. Quicquid autem idem seculum istud totidem suis malis artibus instructum adversus me, sicut pridem cœpit, molietur, tuam ego patientiam, tuam tranquillitatem, tuum contemtum animosè opponam. Superi velint, GRVTERE, ut rectius in his imitatorem tuum agam, quam laudatorem.

D I X I.

VITA, MORS, ET OPERA *MAXIMI VIRORVM* IANI GRVTERI, RECENSITA A FRIDERICO HERMANNO FLAYDERO.



Legimus Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum, ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat, abiisse. Scilicet hoc animal, quem hominem vocamus, id habere consuetudinis videmus, ut si alterius alicujus hominis, vel eruditionem, vel virtutem, vel præclara facinora atque monumenta semel admirari cœperit, non possit, quin ejus quoque habitum, ejus faciem ac vultum, gestus atque lineamenta, vel ardenter coram intueri petat, vel, cum delectatione maximâ, si datum sit, intueatur. Quod tamen, sicut omni propè tempore antiqui in viventibus factitabant: ita nec omittebant in defunctis; quorum præsentiâ, cum frui amplius non potuissent, ibi etiam eorundem faciem, vel cerâ effingebant, vel ære fundebant, vel gypso exprimebant, vel marmori insculpebant, vel penicillo delineabant, vel chartis quoque immortalibus quam diligentissimè repræsentabant: ut non tantùm ejus, cujus præsentiam per mortem amisissent, domi positam quotidie imaginem, aut in atriis aut in Bibliothecis, ante oculos haberent, & ad obtutum illum, ad simile imitandi spectamen, inflammarentur, quàm ut luctum ac dolorem, quem ex eorundem obitu concepissent, aut lenirent, aut, quantùm possent, obliviscerentur. Si quisquam alius ab orbe condito, vel ob ingenii divinitatem, vel ob illustrissimarum Virtutum documenta, vel ob legendi & scribendi incredibilem assiduitatem, vel ob editorum Operum multitudinem, unquam dignus fuerat existimatus, ad quem videndum vivum, non à Gadibus tantùm, sed ab universo Orbe mortales undiquaque profecti agminatim concurrerent, ac cujus imaginem post mortem omnes, quoquo modo à pictoribus expressam, contemplarentur: nescio profectò, Auditores, an ullus dignior fuerit nostro sene, jam defuncto, JANO GRVTERO, cujus prodigiosam, supra mortales ingenii judiciique sublimitatem, sicut nemo ex doctissimis sui seculi viris inveniebatur, qui non instar Herculis Musagetæ, adhuc viventis prosequeretur, admiraretur, veneraretur; Ita neminem, tam serum ac ferreum, neminem tam ab omni humanitate alienissimum reperiri posse judico, qui non ejusdem quoque jam defuncti vitam (in quo unico non unus homo, sed literæ ipsæ, ipsæ propè artes omnes summum periculum adiisse, ac obiisse videntur) aut cum simili, aut majori admiratione sit veneraturus. Quamvis enim hodie, nec præsentem ampliùs videre, nec loquentem audire, nec disserentem admirari Gruterum possimus: nondum tamen hoc beneficio à DEO immortali nos orbatos esse sciamus, ut non ejus facta, ejus dicta, ejus scripta, in animo nostro revolvere, & figuram magis animæ, quam corporis complecti recordatione intimâ possimus. Quod depingendi ac parentandi genus, licet nondum inter homines fuisset cœptum, tamen, vel hodierno die, in nostro sene maximo, jure optimo, institueretur. Quapropter, sicut vultum (quo vivus tantam gratiarum ac virtutum majestatem portendebat) hoc in loco, pictoribus potiùs depingendum relinquemus: quorum simulacra ac imagines non minus imbecillia, ac mortalia sunt, quàm vultus ipsi: Ita nos è contrario, Gruterianæ magis animæ picturam, simulacrumque eruditionis ejus

ejus emendatissimum delineabimus, quod non minus, quàm ipsa anima ac fama, in æternum perennabit: quod nec cerâ fingitur, nec colore pingitur, nec marmori insculpitur: sed solâ vitæ, solâ morum ac virtutum perennantium commemoratione manet, & mansurum est, in animis mortalium, in rerum præclarissimarum memoriâ, in æternitate temporum, incisum, insculptum, infixum. Quod quidem hodie nec ea fini à nobis est inceptum, quasi vel Grutero ipsi, qui nec nostrâ, nec alterius ullâ laude indiget, neque etiam ab ullo satis superque laudari potest, aliquid ornamenti addere velimus: Sed, ut potiùs eundem, cujus præsentia per mortem nobis est subducta, nihilominus in ejusdem Vitæ tabulâ, ac quasi speculo, quo nuspiam formosius extare ullum arbitror, inspicere, cum stupore, in usum nostrum, valeamus: cùm notum sit, neminem virtutibus unquam abundasse, nisi qui alienas priùs amavisset: neminem gloriam assecutum, nisi qui eandem in aliis admiratus fuisset. Verùm enim verò, sicut de pictore ac sculptore, nemo nisi artifex peritus judicabit: & quo quisque est peritior, eo meliùs quoque artis peritiam intelligit: simili prorsus ratione comparatum esse, Auditores, cum Grutero nostro, cogitate, cujus vitæ formosissimam picturam, vitio quidem ingenii debilioris nec à nobis, nec ab aliis dignè expressam, atque exprimendam, solo tamen pietatis quo excusamur impetu, quantùm fieri potuit, hic adumbratam, nemo, nisi doctus & peritus, nemo nisi artifex cum judicio æstimabit, & quo quisque doctior & peritior erit, eò magis quoque sensis nostri vitam, vitæque imaginem prodigiosam, rectè censebit, atque secum, cum stupore, intimarum cogitationum acie pervolutabit. Quo in loco, quanquam in argumento plausibili, & maximè feraci versor, in quo cuilibet indiserto, ac prope elingui oratori sub manûs nasci eloquentia posset: tamen tanta sese aperit copia & abundantia dicendi, ut, quid dicam vobis, Auditores, aut quomodo dicam, aut quid omninò non dicam, planè ignorem: totusque jaceam oppressus sub mole admirationis: cùm certò sciam, nihil tàm magnificum commemorari posse de Grutero, quod non sit infra ingenium Gruteri ac virtutes. Si enim, quod hodiè moris inolevit, in laudibus tanto viro distribuendis, à titulis ejus auspicari velim: quos cuilibet ex facultate atque vitæ, cui adhæret, ordine, largo modio admetiri amamus, quo, quæso, nominè nominabo? quid sine piaculo tacitus non omittam? aut cui facultati addictum, aut cui non addictum fuisse dicam? qui non tantùm uni soli non addictus fuit, sed nullam non perlustravit. Si titulos ac encomia ab aliis mutuari velim, & eo nomine, quo omni tempore doctissimi eundem nominarunt, Gruteri laudes cumulare pergam; ecce jam inconsuetis titulis, ab aliis utendos acceptis, tempus, quod orationi atque vitæ ejus destinatur, integrum consumpsi. Quâ in parte tamen, etiam hoc ipsum agendum esse, neque tamen illud esse intermittendum mihi videtur. Nam, quem nos Gruterum dicimus, illum Dousa *Romæ vindicem*, Utenhovius, *Poetarum Regem*, & *Ausoniorum Deum*, Pontanus, *solum imperii Romani Statorem*, Bertius, *Æmulum Herculis*, Grotius, *solos æternantem Deos*, Mauclerquius, *Janum quadrifrontem*, Taubmannus, *nobilem Musarum pompam*, Lubinus, *omnium seculorum Argum cen[t]oculum*, Colerus, *magnæ sapientiæ facem*, Meursius, *Phœbum atque Herculem Musarum*, & primarius hujus seculi Poëta, Heinsius, *grande Germanorum ac Belgarum decus, virumque metas ingenii famæque egressum*, illum alii denique *seculorum Atlantem*, alii *nostri temporis Phœnicem*, *Collabentium literarum Instauratorem*, *Eruditionis Principem*, alii *Mortalitatis bonum commune*, alii aliter, omnes autem uti hominem inconsuetum & inusitatum nuncuparunt, exornarunt, salutarunt. Multa itaque ex aliorum maximorumque virûm ore dixisse visus sum, at nondum tamen millesimam encomiorum, quibus est affectus, dixi partem: imò etiam, quod destinavi, nondum incepi: neque etiam incipere, neque ad finem pervenire potero, nisi in Grutero commendando, Gruterum ipsum imiter, qui semet nunquam aliter, quàm verbo simplici, Gruterum nominavit: quo nihil majus, nihil altius, illi dare potero: quo solo nomine contentus ego, dum omnes reliquos laudandi flosculos abjicio, quod superest orationis, per vitam atque opera, quæ edidit, & denique per mortem, continuabo: quo unico compendio viro incomparabili comparabilem laudationem arbitror me instituturum. Natalem itaque quod attinet, effulsit ille nostro Soli, sidere felicissimo, anno supra millesimum quingentesimum sexagesimo: mensis Decembris die tertio: quo eodem scilicet anno tria Germanorum illa lumina, Philippus Melanchthon Wittebergæ, Georgius Sabinus Francofurti, Petrus Lotichius Heidelbergæ denascebantur: ut non sine verisimili ratione Natura rerum in unius nostri Astri ortu restituisse visa fuerit, quod in horum trium singulorum siderum occasu separatim amisisset. Patriam habuit Antwerpiam, illam ob totius emporium Europæ, &, quod Sacri Imperii Marchionatus in Brabantiâ caput est, urbem celeberrimam. Parentes tamen illi utrosque non unus Orbis dedit. Patrem namque Gualterum, Consulem Antwerpiensem (ut & avus Nicolaus & majores, gente Gandavenses è Flandriâ Bredam concedentes, semper summis Senatûs, aut Antwerpiensis, aut Bredani patriciis annectebantur) patrem, inquam, Belgium, at matrem Anglia produxit: cùm alterutra terrarum sola non sufficeret, ut tantus generaretur. Quas duas Orbis partes, si, quod Rhetores in sterilibus alioquin factitare videas materiis, laudare velim, quid aliud, quam Soli lumen meridionale fœnerarer? Velut enim Anglia ipsa sibi Orbis est, dum quasi alium diversum ab hoc nostro Orbe Orbem sibi fecit: ita Belgæ soli sunt, qui non modo omnes in omni Orbe, eruditione, ingenio, aliisque virtutibus, exsuperant, sed partim, veluti Amphibia, terrâ scilicet ac Oceano contenti, degunt, partim extra hunc utrumque Orbem superum & inferum, extra Solis Lunæque cursus, extra ipsam propemodum naturam, in glacie, in nubibus, cum belluis, cum atomis, cum chao vitam tolerare assueverunt. Quæ multis ad stuporem enarrari possent, si Gruterus noster non majorem, quàm à patriâ accipere potuisset, virtute propriâ sibi peperisset existimationem; ut qui non tàm ipsum Belgium, in quo natus, atque Angliam, in quam septimo ætatis anno, cum parente persecutionem passò, fugiens, ibique decennio commoratus atque educatus, quàm hunc Mundum universum, suam esse patriam existimabat. Pueritiam (cujus tamen crepundia aliis potiùs dicenda relinquemus) atque adolescentiam, per omnium honestarum artium culturam ad miraculum usque transigebat: ubi difficulter agnovisses, an puer, sive juvenis, seu senex esset: ita puerilem simplicitatem ac juvenilem vigorem cum prudentiâ senili commiscebat, ut nulla tamen alteram destrueret. Quo in loco, dum omnia paullò altiùs examinare soleo, ibi deprehendo, nostrum Gruterum communem parentandi ac laudandi morem, prorsus commutasse, atque invertisse. Nam sicut alios hactenus, à patriâ, à parentibus, à præceptoribus, à scientiis aliisque sexcentis, commendavimus: ita in nostro argumento, rectè pertractando, ordine præpostero nobis incedendum esse, demum video. Nec enim à patriâ Gruterum, sed à Grutero patriam, nec eundem à parentibus, à præceptoribus, à scientiis, sed ab ipso parentes, præceptores, scientias, & reliqua, quibus ipse fuit ornamento, commendanda esse judico, si rectè propositam materiam exornare instituam. Quapropter sicut ipse, cùm in patris, tùm in matris primò patriâ, Belgio scilicet & Angliâ, deindè etiam in Germaniâ hac nostrâ, ut & in Italiâ, in Galliâ, aliisque locis, viros doctos audiendo atque salutando admirabatur: ita mox eundem, & se majores, simulque minores admirabantur: imò ad ejusdem, velut literarum Principis judicia, prima hujus seculi ingenia provocarunt. Tali enim igneo, ac penitùs fulmineo à naturâ ingenio fuit præditus, ut plerosque suos præceptores, velut pueros, superarit: qui, cùm primò præclarissimorum virûm discipulus fuisset, illorum mox Collega, & denique parvo interjecto tempore, præceptor ipse evasisset. Ubi tamen tale semper observabat modestiæ temperamentum, ut singulos amicos, quorum animos obtutu primo introspicere poterat, & cujus essent pretii, æstimabat, pro singulis præceptoribus agnoverit, licet præceptorem meliorem nunquam habuerit, quàm semetipsum, neque meliùs erudiebatur, quàm si suo rem remigio aggrederetur. At, si magnum opus magnum quoque artificem commendat: quis quæso major artifex Grutero nostro dabitur? quis è doctorum nume-

numero ausit sua opera æquiparare ad opera Gruteriana? quæ velut in transcursu, non quidem numeramus, sed tantùm subducimus: ut qui singulos adeò annos, imò singulos propè vitæ suæ menses libris singulis à se editis distinxit. Famæ suæ immortalis januam, circa annum vigesimum, aperiebat Versibus, quos Ocellos vocabat: quos nihil minus, quàm turgentes, aut fluentes pangebat: sed naturali pulcritudine exsurgentes, omnesque sani coloris enitentes, quibusque sermo non publici saporis inerat; sed quos prorsus masculos ac robustos, & omninò tales, instar oraculorum, effundebat: qualibus Tyrtæus Spartanos multo acriùs, ac tubarum clangore accendebat: ut non tàm Musas suas, quàm venerandam Jurisprudentiam, in quâ summam infulam ab Hugone Donello, Lugduni Batavorum, maximo applausu, publicè, adhuc juvenis, accepisset, edidicerit: ne cruda scilicet & imperfecta studia in scientias reliquas, inque cathedram, ac præcipuè in sacrosanctæ Themidis delubra propelleret, &, more jam ubique locorum recepto, nondum priscæ sapientiæ præceptis animo composito, & solummodò Compendiis se oblectanti, nil nisi Lamiæ turres, & Solis pectines, vitreaque fracta, ac somniorum interpretamenta, sectaretur: sed ut potiùs ab ipsis Musis amœnissimis gravissimarum scientiarum sacra auspicaretur, ac in unum combinaret: quo solo detestabilem illorum refutaverat opinionem, ac delirium, qui poëtam animal ineptum ad omnia arbitrantur, nec magis idoneum gerendis rebus publicis, ac civilibus existimant, quàm asinum ad lyram, aut canem ad arandum. Inde Suspicionum evulgavit libros: de quibus festivissimus Taubmannus sic est professus, malle se Gruteri, vel unicam Suspicionum paginam, præ mille assertionum, nescio cujus Marculi, strictibus. Ejus quoque Senecam, Notis illustratum, tanti æstimavit politissimus, & inimitabilis eloquentiæ Lipsius, ut ingenuè dixerit, nullum exemplar in eodem Auctore commentando, sibi magis usui fuisse. Quin & ejusdem Martialem ad id fastigii evexit dæmonium hominis Josephus Scaliger, ut literis testatus fuerit: Nulli mortalium plus debere Bilbilitanum illum, quàm Grutero. Quare cùm Laurentii cujusdam Ramiresii de Prado, Hispani, Commentaria in Martialis quatuor priores legisset libros, in quibus petulanter admodùm Grutero nostro, licet optimè de Martiali, ac de omnibus scriptoribus, merito, ille tyro, sive puer Criticus fastuosus, atque insolens, obtrectasset: ecce Scriveriu, inexhaustæ eruditionis viro, non dubitavit scribere idem Scaliger, ut, non sine cumulo Gruterianarum laudum, seriò moneret obtrectatorem istum Ramiresium: quem non minus tamen & ipsum antea, cum Musambertio, Criticorum illud ingens decus, Matthæus Raderus comminuebat. Inde Inscriptionum Romanarum opus Augustissimum est aggressus: quod invitis ac nolentibus fatis, bis, semel flammis, deinde militum rapinâ perditum, reparatum tamen, noster tandem auxit, locupletavit, evulgavit. Nam, ut hujus prodigiosi operis admiranda fata obiter recenseam, Inscriptiones tales, primò omnium Martinus quidam Smetius, Brugensis, sexennio integro totam Italiam pervagando, collegit, & doctorum aliquot auctariis locupletatas, in ordinem, summâ diligentiâ, redegit. Quas deinde ab eodem Marcus Laurinus, Watervlieti Dominus, vir antiquitatis amantissimus, describi, magno pretio, rogavit. Quod, dum agit Smetius, ecce domus universa, cum totâ supellectile, etiam cum Inscriptionibus illis, comburitur, remanentibus solummodò uno & quinquaginta foliis, in quodam scrinio seorsim custoditis. Ex quo casu Smetius totus consternatur. Laurinus contra, & prece & pretio, consternatum solari ac hortari, ut de integro, periculosæ illud opus aleæ plenum, aggrederetur, perditumque, quoquo posset modo, restitueret. Restituit hoc Smetius, restitutumque dat Laurino. Laurinus interim, bellis civilibus in Belgio exortis, Brugis in Galliam fugam molitur: & simul Antiquas illas Inscriptiones, cum Instructissimo Antiquorum numismatum thesauro (& ipso operâ Huberti Goltzii toto orbe, labore maximo, maximis impensis, conquisito) secum vehere meditatur. Quid fit? Inter vias, ab Anglis militibus, qui Ostendæ præsidium agebant, cum pulvisculo omnia nefariè abripiuntur. Ipso quoque optimo Smetio ad Bruxellas, quòd Reformatæ Religionis ageret concionatorem, à militibus furibundis, sine ullâ ratione, crudelissimè suspenso: Cujus postea viduam Goltzius uxorem duxit. Interim Janus Dousa, cum Paulo Busio, Legatus ab Ordinibus mittitur in Angliam Ibi forte fortunâ in Anglum militem, Opus Inscriptionum illud Smetianum venale habentem, incidit. Quod & emit, & in patriam transportat, & sic Smetio quidem ac Laurino defunctis, Lipsio tamen auctarium adjiciente, typis describi curavit. Hoc Gruterus tandem noster asinino prorsus labore ex lateritio marmoreum, imò aureum fecit. Nam & illas pauciores primò servavit, & omnes, quotquot unquam in toto orbe superfuerant, collegit Inscriptiones, & easdem in ordinem coëgit, & denique Cæsari Rudolpho, parenti publico, perpetuoque Augusto dedicatum, publicavit. Cui ipsemet Josephus Scaliger, in senectâ ætate, solo amore atque studio, quo Gruterum prosequebatur, compulsus, viginti quatuor Indices, decem mensibus continuò illis insudando, adjecit. Et sic Gruterus noster, non tantùm unico hoc opere Heroico, sibi vivo vivum atque immortale condidit sepulchrum, inter tot Consules ac Duces, tot Imperatores ac Monarchas, tot Deos, tot Basilicas, Palatia, Columnas, Thermas, Magistratus, sacros & profanos, interque tot utriusque sexûs omnium ætatum, omnium ordinum, invictissimos illos Romuli nepotes: Sed etiam tot muta marmora, tot truncos, lapides atque æra, instar novi cujusdam Orphei, se sequi, & quod majus est, Latinam Græcamque Linguam loqui ac resonare docuit. Hinc, quicquid exteri olim stupescentes intuebantur, quicquid principum filii tot sumptibus hinc inde in Italiâ quærebant, quicquid docti cum admiratione interpretabantur, illa omnia, in unico hoc volumine, reposita cernuntur: absque hoc si esset, aut si Gruterus illas Inscriptiones, hodie in Italiâ fatali quâdam incuriâ neglectas, ab interitu non vindicasset, ipsa Roma, Romæ frustrà quæreretur. Quo labore devorato, postea immensum illud opus, in sex ponderosos distributum Tomos, confecit, quod Facem Criticam vocavit. Quæ felicissimo lumine incensa, cùm, instar Solis, ipsa per se luceat, nostris hic igniculis non videtur indigere. Maximâ autem admiratione dignum est, quod sequitur. Extat opus quoddam immensum, augustum, varium, capacissimum: quatuor voluminibus grandibus constans. In quo omnia quæcunque à Nativitate Salvatoris nostri, vel Ecclesiastica, vel Politica, in omni rerum naturâ occurrebant, congesta sunt: quod Chronicon Chronicorum dictum Johannis Gualterii nomen in frontispicio ostentat. Hujus tamen immensi operis, quo, quisquis alius omni vitâ illi insudando, satis immortalem famam assequi potuisset, nemo alius fuit auctor, quàm Gruterus, qui maluit parentis sui nomen adjicere, quàm suum. O filium stupendum, qui, sicut ipse primò vitam à Parente suo Optimo accepit, ita deinde mortuo parenti vitam, atque æternitatem est largitus; cujus nomen, æterno isto Opere, æternum fecit. Interim tamen nullus Auctor, sive Græcus, seu Latinus, extabat ex antiquis: quem non Notis & Commentariis, aut illustrarit, aut illustrare potuisset noster Antiquatum omnis generis altissimus gurges ac vorago: cum quo, etiam doctissimi hujus ævi, si comparentur, desidiosissimi vocabuntur: cùm etiam illi, qui totâ suâ vitâ literis assident, huic collati, quasi somno ac inertiæ dediti erubescere cogantur: nisi Gruteri labores callidius dissimulare velint, quàm candidius æstimare. Nemo enim plura unquam veterum monumenta recensebat, & restituebat, quàm noster scriptorum Machaon. Ad auctores, quos jam recensui, adjecit, & evulgavit quoque, aut notis, aut commentariis illustratos, adhuc infinitos: ut Historiam Augustam integram, Livium integrum ter editum: Salustium, Florum, Senecæ Tragœdias, Statium, Vellejum Paterculum, Plinii Epistolas, Panegyristas, aliosque plurimos, quos fama publica, me tacente, loquitur: ut & opus Ciceronis universum. Quem auctorem quasi Latinitate postliminiò donatum, emendatissimum, evulgabat. Cui denique & Plautum, ante octo à morte annos, conjunxit, Musam illam decimam: quem, post Taubmannum, in manus resumens, studio religiosissimo emendavit ad Manuscripta Palatina. & adeò perfectè emendavit, notisque locupletissimis commentatus est, ut, sicut antea ipsæ Musæ Latinè loqui didicisse ab ipso Plauto creduban-

debantur, sic Plautus à Grutero rectè loqui didicisse meritò credatur. Quo in loco tamen, qui nihil nisi Notas, atque Lectiones varias scripsisse nostrum senem ac dæmonium hominis arbitrantur, ac stolidè suggillant, illis libentissimè hunc sinistrum decidendi calculum, ignaviæ atque ignorantiæ propriæ præconem, cum barbariè relinquimus: modò viris doctis, ac Grutero nostro, auctores optimos, correctos atque omnibus numeris emendatos, concedant. Nisi enim Antiquitatis venerandæ, tùm Græcæ, tùm Romanæ, scriptores, ex quibus, ceu fontibus perpetuis, omnia Eruditionum flumina labuntur, emaculentur, ut quasi in penetralibus ac cubilibus inquinati permaneant, fieri non potest, quin ipsi etiam progressus contaminentur Disciplinarum. Et nisi nascenti Typographiæ Aristarchicum illud Criticorum genus porrexisset manus auxiliatrices, nihil jam, nisi libros barbaros in omni scientiâ ac Facultate haberemus, pluribus vulneribus fœdatos, quàm Regulus inclusus arcæ Carthaginensi. Quâ molestiâ tamen homines inutiles, & torpori magis indormientes, quàm studiorum incrementis rectè invigilantes, facilimè carent. Cui hominum generi, qui tantum virum, suis tenebris attulisse lucem, molestè ferunt, nihil nisi sanum sinciput precamur. Cum & hoc certissimum sit, plures ex Gruterianis laboribus Herculeis, invictis, inaccessis, fructus ad doctos redundasse, & redundaturos: quàm ipsi hactenus vel confessi sunt, vel imposterum confitebuntur. Adhæc, Adversaria sua, ex omni Antiquitate cumulata, tot & tanta habuit, ut si foras emittere illa voluisset, potuisset integras plaustrorum moles, totasque naves onerarias implere rebus à se observatis: quarum tantummodò præsegmina ac ablegmina, ut ita dicam, si quis, quæ cum purgamentis in Museo ejus à famulorum scopis subinde everrebantur, collegisset inque ordinem coëgisset, ac evulgasset, his solidam maximamque famam assecutus fuisset. Quo effecit, ut nihil non obscurum, nihil non abditum, nihil non parùm intellectum in profundis Antiquitatis cubilibus pertractarit, investigarit, eventilarit. Historias ad stuporem usque callebat omnes. Alii, si antiquas norunt Historias, ecce plerumque in recentioribus sunt infantes: aut, si has legerunt, neque tamen illas attigerunt: qui non minus tamen ab omnibus passim Historici vocantur. At Noster, & antiquas & recentes, tam exactissimè sciebat, ut nescires, in quibus diligentius præ aliis fuerit versatus: Verè Janus bifrons, qui & nostra & antiqua secula, imò & historias, quæ nondum factæ sunt, perspectissimas habebat: quo nemo meliùs ex præteritis futura colligebat. At Tacitum, Historiarum patrem, virumque supra omnem humanæ prudentiæ aleam positum, sic in succum, sic in sanguinem ac medullas, penitùs redegit, ut nec Tacitum semetipsum meliùs scivisse, ab interioris admissionis amicis, fuerit creditum. In quem tot divinas scripsit Diatribas, atque Dissertationes, ut, Scaligero testante, non solùm, qui Politica tractare volent, haberent, unde plenè haurirent: sed hoc unico Studio, quod Lipsius scribebat, os calumniantium occluserit, qui meros litteriones nos censent, nec alterius feriæ rei: & nesciunt, quàm divina & humana in his veterum monumentis tractemus, & indagemus. Distabat enim noster ab umbraticis doctoribus toto cœlo: qui, sicut vespertiliones atque noctuæ Solem ferre nesciunt, ita animo caligine obducto, nequeunt complecti, quid sit esse Historiæ Consultum: quam humanarum Actionum moderatricem, testem temporum, vitæ magistram, & memoriam, vetustatis nuntiam, matrem prudentiæ, ac sapientiæ civilis, meritò indigitarunt. Quam, cum nemo meliùs Grutero nostro callebat, aut hunc solum, aut neminem dignum fuisse credo, qui Imperatorum Principumque filios rectè instituere potuisset. Non tamen minus & ipsos Sanctos Patres sæpissimè linguâ, quâ loquuntur, vernaculâ, totos pervolutabat, imò omnes quoque, in Locos à capite ad calcem redigebat: quod ejusdem Florilegiorum Tomus secundus, tertius & quartus, post Langii primum, testantur. Bibliothecam privatam, à se vix duodecim millibus aureorum collectam, habuit tantam, quanta hodie vix ulla publica in ullâ Academiâ invenitur. Publicam verò Heidelbergensem, cujus Præfectus post Sylburgium, & Melissum, anno, supra millesimum sexcentesimum, secundo, à florentissimo quondam Principum Friderico IV, Electore Primario, constituebatur, in quâ totus luxuriabatur, & præ nimietate penè opprimebatur, illam, inquam, sic ulterius publicavit, sic excussit, sic curiosissimâ sciscitatione exenteravit, ut, licet jure belli jam alio translata fuerit, imò licet a vetustate ipsâ penitus assumeretur, nihilominus tamen partem maximam, à Grutero nostro è Manuscriptis evulgata ac correcta, nunc in omnium propè doctorum hominum Museis, quibus Gruteriana insunt opera, multo melius & elegantius cernatur, quàm cùm adhuc in membranis illis, templo unico custoditis, literis non nisi à Gruterianis oculis legendis, descripta, servaretur. Quam tamen nòn tam per orbem universum diffundebat, quam in compendium contrahebat, ut & Pauperes illam atque Exules ubique locorum haberent, quod ejusdem Bibliotheca exulum demonstrat. Bibliothecam tamen nullam unquam meliorem habuit, quàm semetipsum. Quicquid alii in libris suis magno colligunt labore, ut è Bibliothecarum amplissimè instructarum penu, si opus esset, velut è cellâ promptuariâ in usum, sive suum, sive publicum protrahant; illud omne noster Janus, imò adhuc plura, in capaci sinu memoriæ, illo fidissimo suo Palladis delubro, illo Musarum Capitolio augustissimo, circumferebat, &, si usus exegisset, sine morâ in publicum proferebat. Cujus rei infinita dare possem testimonia, nisi perfunctoriè saltem summos apices Gruterianæ Vitæ recensere decrevissem. Quare hæc quæ diximus, de Grutero, veluti de Dæmone dicta sufficiant: quæ admirari tantùm, non verò imitari datum est. Quæ sequuntur, veluti de homine dicentur, quorum tamen partem maximam & ipsam facilius poterimus admirari, quàm imitari. Cùm autem fas sit, non solùm ingenia mortalium, sed etiam magnorum ingeniorum domicilia contemplari, ecce nec in hâc parte quicquam negligendum est. Quare habitum quoque ejus si posteri velint noscere, staturâ erat ille decenti, ac sublimi. Nam proceritas corporis, facies erecta, capilli candidi, cana barba, quæ licet fortuita sint, seni tamen nostro plurimum venerationis attulerunt. Nullus horror, nullus in vultu metus, nulla tristitia: multùm severitatis, cum singulari gratiâ, quæ ex ore spirabat. Bonum virum facilè crederes, magnum, libenter. Reverearis occursum illius, non tamen reformides. Mira in sermone, mira etiam in ore ipso, ipsoque vultu suavitas, quem tamen, instar Socratis, semper propè eundem & sibi similem, nec gaudio nimis solutum, nec tristitiâ contractum, multò minus, iracundiâ deformatum, unquam habuit. Condiebat autem semper severitatem jucunditate pari summæque gravitati maximam adjungebat comitatem. Loquenti, sive privatim, cum amicis, sive publicè, ex cathedrâ, cum discipulis, Homerici senis mella largiter profluebant: ita tamen, ut non sermonis, sed oraculorum pondus repræsentaret. Corpus macilentum, abstinentiam, pallor sive candor faciei, lucubrationes arguebant. Nec tantùm vultu, sed & generositate animi, incessu, cultu, totoque habitu membrorum quibusvis bonis in se reverentiam, cum amore maximo, incutiebat. Qui de facie noverunt illum, hi revera fatebuntur, naturam illi inscripsisse quicquid fuerat: ac in Gruterianæ frontis tabulâ eandem illam rerum omnium parentem, mentis atque animæ imaginem depinxisse talem: quâ elegantiorem vix unquam fuisse visam, Physiognomici testabuntur. E lineamentis itaque aliisque, quas facies præ se fert, notis, non vulpeculam scholasticam, multo minus Orbilium plagosum, sed aliquem Catonem, Senecam, atque Tacitum, aut quemvis gravem Consulem Romanum descripsisses. Opibus nimiis gaudebat nunquam: quamvis speciosæ, etiam nolenti, contigerant. In maximis, quas Deus & Fortuna illi largiebantur, divitiis, semper animum viri boni atque pauperis servabat. Fictilibus, ut argento, & argento, ut fictilibus, utebatur. Nec minus etiam vini fuerat parcissimus: paratus, ubi sitis admoneret, etiàm profluentem aquam bibere. Vitam (nam ne hoc quidem omiserim) tolerare didicit victu simplici, minimoque, ac propemodum vulgari. Edebat ut viveret, non vivebat, ut ederet. Cibos maximam partem ex horto, quem colebat ipse, non ex macello appetebat: quamvis neque butyrum spernebat. At asparagos, olusculа, lactucam, intyba, atque talia, nullius structoris egentia, impensè

pensè comedebat. Mensam itaque semper sobriam & siccam, semper philosophicam habebat: ad quam facilimè Pythagoricos & Catones invitasset, Gnathones verò aut Apicios, similisque Juris culinarii peritos, omnes exclusisset, quibus suas cœnas dubias, sua piperata pulpamenta, suos pisces electiles, & reliqua omnia, magno empta, libentissimè concedebat. Dumque aliis nihil est antiquius, quàm quotidie ciborum struicibus, sibi vivis, quasi parentare: ecce noster semper sobrius & siccus, semper sui similis, ad studia sua properabat à tali plerumque prandio, post quod non essent manus lavandæ. Die toto, maximam sæpe noctium partem, stans literis operam navabat. Sicut enim stantem mori Imperatorem ajunt oportere, ita noster Invictissimus literarum Imperator, & ipse, stans scribebat, stans legebat, stans studebat: &, hoc eodem situ, ad famam ac æternitatem grassabatur: ut non minùs animo, quàm corpore, ad sidera, quibus ortum debebat, erecto, & veluti à terræ quisquiliis ac sordibus averso, in gratiam cum suis Musis redire visus fuerit. Si forsitan languebat, ecce plerumque nullo alio utebatur medicamento, quàm herbis quibusdam crudis, ac præsertim brassicâ; cujus usum, non modò ipse Cato plenis paginis commendat, sed &, ex eodem Plinius testatur, populum Romanum sexcentis ferè annis medicinâ brassicæ usum: cùm nondum Medici in urbem commeaverant, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno sanitas constaret. Quam utilissimam sanandi methodum non minùs, ac omnia bona à Romanis suis didicerat. Quare Medicinam ulteriùs nullam unquam, nisi quam Virtus ac industria indefessa præscribebant, adhibere voluit: ut qui languorem atque lassitudinem ex studiis obortam, vel jejunio, vel mediâ, vel labore prorsus improbo, dispunxerit atque exsuperarit. Unicum tamèn hoc excipio, quod senectâ, quæ ipsa morbus est, jàm adventante, Consiliis & medicamentis Viri summi, Johannis Henisii, utilissimè est usus, quem ipsemet Gruterus, & amicorum suorum ocullissimum ac ferventissimum, & Camœnarum omnium delicium & Patriæ Machaonem, & utriusque Apollinis mystam subindè nominabat. Quare etiam in senectute ipsâ ætatem viridem ad extremum prope spiritum reservabat. Nam aurium oculorumque integrum vigorem, atque agile vividumque ferè semper corpus servans, solam ex eadem senectute prudentiam contraxit. Quamprimum ejus cubiculum (nam & hoc ingredi debemus) aspexisses, illud veluti vivam imaginem priscæ frugalitatis æstimasses. Lecto utebatur, non plumatili, sed duro, culcitâ, quæ non cederet jacenti, sed resisteret: quæque nullius hominis vestigium ad corporis mensuram figuraret. Nullum diem, nullam horam per otium exire passus erat, nec vacabat somno, sed succumbebat: & oculos vigiliâ fatigatos cadentesque, in opere tamèn detinebat. Noctibus ad stuporem usque utebatur, quibus partem maximam lucubrabat. Hieme chirothecis sive manicis, etiam domi, inter Musas, muniebatur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studiorum tempus eriperet. Temporis enim in illo incredibilis erat parsimonia: cujus ne momentum, sive punctum, sine fructu atque lineâ elabi patiebatur: quod periisse omne arbitrabatur, quod studiis & lectionibus non impertiretur: quod, ne aliquâ impediretur, ecce omnem sibi voluptatem negavit. Vixit quoque vitam omnium liberrimam, nullius unquam hominis, nullius vitii, nullius quoque rei servus, præter virtutum: quarum servitus omnes reliquorum omnium exsuperat libertates. Nihil etiam ad ostentationem, omnia verò retulit ad conscientiam. Nemini Pietate, continentiâ, Justitiâ, fortitudine, ac præcipuè Candore, qui apud doctissimos sæpè exulat, concessit. Nihil, nisi profundum ex illo ac frugiferum, à quoquam fuit auditum. Nullos ad se venientes excludebat Studiosos, nulli animum rerum omnium capacem negabat, eumque omnibus sua studia communicabat. Verus literarum Sol, qui omnibus lucebat: vera Luna, quæ innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ad pabula deducebat: verus Musarum imber, qui omnes rore saluberrimo irrigabat. Uno verbo, sua omnia pandebat omnibus, quo nullum majus innocentiæ est testimonium. Nec etiam eos sequebatur literarum Timones, qui ad se venientes Studiosos non ultra atrium admittunt, nec nisi cum nudo vertice attantibus, & sesquipedalium titulorum pompositatibus crepitantibus, veluti è tribunali loquuntur. Libros, sive suos, sive publicos sæpè etiam non rogantibus, utendos dedit. Neque enim amicos, quod hoc seculo est usitatum, gradatim habebat, sed omnes. etiam inimicos, beneficiis paribus & æqualibus obruere laborabat. Quo facto, à multitudine atque copiâ doctorum hominum, studiosorumque, qui ad illum ex ingenii admiratione confluebant, ad stuporem usque colebatur, diligebatur, frequentabatur. Hos præceptis, hos monitis imbuebat. Vitia enim, non homines insectabatur. Nec errantes castigabat, sed emendabat. Amicos emanentes, neque maximopere petebat, nec curabat; quia sibi esse amicus cœpit, & ex eo amicus omnibus fuit, imo domi, mutos atque mortuos, habebat multò doctiores, certioresque, quam ullus ex viventibus illi obtingere potuisset. Si qui vero adventabant, illis semper domi erat: illis amicitiæ januam atque animum integerrimum pandebat: neque cuiquam unquam de suis, quæ subinde incumbebant, occupationibus querebatur: ne videlicet quenquam à congressu suo absterreret. Quod unicum & omnium doctissimi, & candidissimi, atque adeò optimi pectoris exemplar est manifestissimum. Singulos enim amicos, esse singulos credebat Imperatores, quos in se jus habere arbitrabatur: ut quod ipsi sibi dederint, non ab illo sumserint. Fuit tamen illi semper amicus unus pro populo, sicut populus pro uno: ut cui satis essent, amici pauci, satis unus, satis nullus. Quare cum unico, veluti cum pluribus loquebatur: cùm satis magnum sit alter alteri Theatrum; ubi omnia sic egit, tanquam universus Orbis spectator adfuisset. Si nullus è viventibus amicis adesset, ecce, vel, ut dixi, cum mortuis, vel etiam cum nondum natis, hoc est, cum nepotibus ac posteritate nostrâ, aut denique, secum loquebatur. Plures itaque amicos faciebat, quàm habebat: in plures beneficia collocabat, quàm experiebatur: plures doctiores fecit, quàm aspexit, aut quàm ad illum viventem venire potuerunt. Nihil fuit unquam, quod discere voluisses, quod ille non docere statim potuisset. Quicunque aliquid abditum ac reliquis mortalibus invium quærebat, hic thesaurum verum, verum cornucopiæ habebat. In conviviis sermones honestissimos explicabat quoque noster vir plenissimus humanitate, quam ubique profitebatur. Neminem offendebat, omnes demerebatur. Qui cum eo loquebatur, ille se meditatæ Lectioni alicujus doctissimi Doctoris, ac in omnibus scientiis magistri versatissimi, interesse reipsa experiebatur. Nihil unquam frustra dixit, nihil, quo non doctior evaderes, quod non antiquitatem redoleret: quo non statim emendareris: quod non cum stupore admirareris. Ita tamèn se ad amici captum accommodabat, ut, sive doctum seu indoctum fuisset nactus, utrumque protinùs doctiorem fecerit: ut nullus fuerit, qui non à primo congressu ejus statim ingenium intime exosculari cogeretur. Latinam verò Linguam (quod maximis viris sæpè est negatum) sic expeditè loquebatur, ut ne à doctissimo expeditiùs è libro legi potuisset. Linguas etiam exoticas primo ex libris, deindè peregrinationibus perceptas, quas multi hodie ad ostentationem solummodò discunt, noster non tàm ad usum proprium convertebat, quàm, veluti vernaculas pronunciabat: imo etiam has omnes illustrabat; quod ejusdem Sententiæ, Germanicæ, Belgicæ, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, quas cum Græcorum atque Latinorum evulgaverat Gnomis, testantur. Quibus omnibus consequebatur, ut etiam indoctis probitate morum, ingenii elegantiâ, operum varietate fuerit monstrabilis. Ævum suum potissimùm ingenio ad æternitatem dilatavit: & quod pauci inextricabilibus catenatorum laborum molibus post mortem demum lucrantur: id vivens vidensque noster assequebatur. Gloriæ suæ, suæ famæ ac posteritati superfuit ac supervixit: sua scripta, velut hominis alterius scripta, suosque libros, & ipse legit, & ab aliis ubique legi vidit: ac quotidiè audivit, sibi vivo tantum nominis atque existimationis comparatum fuisse, quantum etiam doctissimo olim sufficeisset post obitum ad memoriam propagandam. Hoc verò probè observandum est in sene nostro, quod, quanquam in omni artium ac scientiarum indagine curiosissimum semper se exhibuerat, alienissimus tamèn fuerit ab omni reliquâ curiositate, sive πολυπραγμοσύνης quæ haut raro doctissimis quibusdam nimis est familiaris ac

domestica: ut ubique tibi obvii, nil nisi novitates, aut rumusculos aniles, ad innocentium ac simplicium, ut vocant, mortalium vitam maculâ inurendam fabrefactos, aucupentur, & impetuosorum instar ventorum atque turbinum, non modo vestes hominum, sed ædium quoque parietes atque facta intima supinent:

Nec prius in dulcem declinent lumina somnum,

nisi exactissime à sui similibus congerronibus cognorint:

------- *quid toto fiat in orbe:*

Quid Seres, quid Thraces agant, secreta novercæ,

Et pueri, quis amet, quis decipiatur adulter?

Imo, *quis viduam prægnantem fecerit, & quo Mense?* Et similia: ab otiosis istis nugatoribus collecta. At noster suam curiositatem in rebus longè aliis exercuit: Sciscitatione diligentissimâ, quid in cœlo, quid in terrâ, in mari, in hoc aëre fieret, investigavit. Modo Solis obitûs & ortûs, modò Lunæ, velut hominis, mutationes, modò reliquæ naturæ arcana, aut ex Philosophorum immortalibus scriptis, aut ex ipso Universi hujus omnibus expanso volumine, perscrutatus est. Sciscitabatur insuper ex omnibus omnium gentium Historicis res abstrusissimas. Ex his Regum ab alto lapsus, ex his subitas hominum mortes, ex his fœminarum corruptelas, ex his insidias, technas, venena, calumnias, & arcana infinita comperiebat. His animum, sciendi avidissimum, mirificè explebat; his se oblectabat: his nec sibimet molestiam, nec aliis periculum procreabat. Cui rarissimæ, & hodierno tempore incomparabili doti, etiam hanc admiscuit peculiarem Virtutis prærogativam: ut, sicut evaserat in omni genere doctrinæ consummatissimus, ita etiam fuerit in omni vitâ prudentissimus. Quoties videmus viros arte magnos, magnam quoque judicii labem atque tabem in sinu secum circumferre? Quoties eruditio excelsa dementiæ mixturâ obfuscatur? Quoties flos Bacchi à tali literato aliquantulum largiter assumptus, & nonnihil cerebro illapsus, magnam sapientiam magnâ vanitate mixtam esse aperit? ut etiam multi arbitrentur, ideò doctiores, ac præsertim poëtarum genus, sub tutelâ Phœbi esse, quòd illis non sit sanum sinciput, quasi curatoris egere videantur? At, quid Grutero nostro eruditius? quid etiam prudentius? quid sene nostro sapientius? quid etiam honestius? quid hoc viro ad innocentiæ, atque (etiamsi vino inundandus fuisset) nunquam exerrantium virtutum exemplar expressius? quod non tantùm cognitum est omnibus vel famâ, quâ optimâ & meritissimâ, ubique terrarum, fruebatur: sed amicorum (invidos excipio) longis magnisque experimentis. Et, sicut ex illo, non nisi verba prudentia, ac antiquos mores sonantia, profluebant: ita talem quoque animi constantiam præ se in omni fortunæ vultu ferebat: quam nec fatorum adamantini grandines, omni impetu ruentes, destruxissent. Tanto fuit animo Stoico & infracto, ut vix, ac ne vix quidem, affectûs alicujus, aut passionis insurgentis ariete quassari visus fuerit: adeo, ut etiam sponsus atque viduus, eodem planè vultûs statu, uxores, quas quatuor ordine habebat, & domum duxerit, & domo iterum extulerit. Ex assiduâ enim studiorum tractatione hoc commodi reportasse sæpè memini illum dicere: ut nihil eum magnoperè terruerit, quod homini solet evenire. Quare & calumnias, quibus semper Heroes Heroumque filii objecti sunt, ultrà, quam credibile est, risu suavi ac contemptu dulci vindicabat: & solummodo auctoribus illarum meliorem mentem precabatur: quos nunquam suâ indignatione dignabatur. Similiter nec à laudibus, quæ illi satis amplæ hinc inde à doctissimis affluebant, quicquam aut insolentiæ contraxit, aut ideò se majorem fieri putavit: cùm etiam ad eum gradum Sapientiæ pervenerit, ut cum Camillo maximo gloriari potuerit, nec Dictaturam sibi animos arrexisse, nec exilium minuisse. Memini cùm ante annos quinque hîc Tubingæ Frischlini Julium Redivivum, adjumento doctissimorum quorundam Studiosorum, in Theatrum produxissem, ac noster ad idem Drama invitatus, cum reliquis spectatoribus assedisset, quendam, qui Eobanum agebat, me sic jubente, ex Cicerone, & ipso personato, & judicium de nostri seculi scriptoribus ferente, etiam hoc quæsivisse, quid Commentarii Gruteri (Wolfium enim tunc è Dramate expunxeramus) in Ciceronis libros sibi viderentur? Cicero verò respondisset, illos esse tersos, doctos, sapientes, ut nihil suprà: ecce, inquam, memini, Gruterum nostrum, se licet ex improviso nominato, ac laudato, adeò nec oculos, nec vultum, neque quicquam commutasse, ac si planè hominem sibi ignotum nominari audivisset. Longè profectò aliter, ac multi faciunt, qui suis laudibus perceptis, aut intumescunt; aut, si contra quicquam ex eorundem titulis quotidianis est omissum, sive si non statim in primoribus subselliis locantur, ibi pallent, ibi propè animum despondent. Quasi verò hominis eruditi prærogativa, aut in prioribus scamnorum partibus, aut in titulorum inanium multiplicatione, ac non potiùs in animo sibi rectè conscio fundetur. Verùm enimverò, nullâ ex re magis æstimari potest noster Gruterus, quantus fuerit, quàm ex recreationibus sive otio, quo omnium negotia antevertit. Animum siquidem, gravissimâ lucubrationum mole pressum, remissurus, non tesserâ cum hominibus, ac amicis, sed versu cum Musis & Apolline certabat: quo unico lusu omnia reliquorum seria superavit. Longè aliter ac illi, qui, toto anno ferias Caniculares agentes, se nunquam satis jucundè egisse putant, nisi luserint, forumque aleatorium calefecerint. Versus, quos pangebat, quosque nulli amicorum petenti recusabat, (qui si in unum volumen digesti essent, omnium poëtarum opera anteirent) quibus alii fiunt lassi, noster pro lusu atque joco, & studiorum suorum oblectamento habebat. Nec tamen minus amator maximus numismatum antiquorum ac picturarum fuit: quarum multa millia ab optimis artificibus, aut ære sculptas, aut coloribus expressas, impensis maximis noster omnium elegantiarum arbiter colligebat: earumque contemplatione animum oblectabat. Ante omnia verò (Heroum enim recreationes atquè libenter audiuntur, quàm reliquorum hominum curæ graviores) illam innocentissimam Justitiæ matrem, Agriculturam, mirum quantùm excolebat. Et dum alii æstatis mollissimâ temperie illecti, sub arborum umbraculis, aut otiosè ambulabant, aut aleâ ludebant, aut pocula ducebant, aut garriendo temporis amabilitatem condiebant, ecce noster ille, aut arbores seris nepotibus profuturas, in quincuncem dirigebat, aut vites ordinabat, & in illis quasi singulos racemos numerabat, aut per areolas sui horti reptitabat, herbas atque flores seminabat, ac è terrâ plantas jam protuberantes salutabat. Quod non tantùm ad antiquissimorum instituta Heroum, videlicet Curii, Fabricii, & Quinctii, serentis, occantis, ac arantis; sed etiam, partem maximam, à Lipsio, suo præceptore traxisse videbatur: qui & ipse in Iscanio suo, atque alibi, idem factitabat. Quare, sicut sibi in suis Bibliothecis per labores indesinentes, catenatasque librorum evolutiones Charitas ac Musas; sic in suis, quos Heidelbergæ semper instructissimos habebat, hortis, plantarum cultu, per otium, Floram ejusque comites officiosè demerebatur: imitatus morem sublimibus ac liberis naturis proprium, quæ curas quandoque urbium exuentes, è florum ac herbarum cultu in patenti aëre solatium ac quasi animi refrigerium haurire solent. Quæ Agriculturæ pars, tantùm non abhorret ab erudito homine, ut multæ Academiæ, eam, non secus, ac necessariam partem instruxerint: quod hortus Lutetianus, Monspeliensis, Patavinus, Argentoratensis, ac præcipuè Leidensis probat: in quo æstatibus singulis herbariæ lectiones à Præfecto ad id destinato, habentur. Quas nemo tamèn meliùs, quàm noster hortulanus, obire potuisset. Singulas herbas, sive domi, sive foris, natas, exactissimè sciebat, illarumque vires sine morâ accuratissimè pandebat: inque areolas ac pulvillos suos omnia ordine maximo disponebat. Ibi, modò jucundum foliorum virorem, florem jam pollicitantem, & se solo exerentem, contemplabatur Tuliparum: quas varias hinc inde, ac imprimis ab Amplissimo Johan. Wowero Senatore Antwerpiano, accipiebat: modò capita bulborum, modò violarum purpuram, modò sanguinem rosarum, modò liliorum ebur, modò reliquorum florum flammas, stellas atque aurum, modò denique arborum odoram nivem, ac muricem pyrorum, pomorumque ceram, intuebatur: quæ omnia & naribus & oculis admovebat; imò in animum intimosque sensuum sinus cum suavissimâ delectatione demittebat. Ubi tamen nunquam minus degebat solus, quàm cùm solus; nunquam minus otiosus, quàm cùm esset otiosus. Semper manu alterâ, vel rastrum, vel ligonem, alterâ deinde suum stilum pugillaresque tenebat: ut

non

non minus illam plenam floribus ac herbis, quàm hanc annotatis, in omne ævum duraturis, domum secum reportarit. Cujus posterioris generis æterni fructus, ex altissimo terræ nascentium silentio, magno illo sublimiorum cogitationum incitamento, subnascebantur. Cum & hoc regale prorsus privilegium ex horto suo habuerit, ut non solùm nunquam sinistris sermonibus à floribus, illis innocentissimis terræ alumnis, fuerit carptus; sed etiam, veluti eorundem sequester aut pararius, ex illorum beatissimo odore & refectus, & ad studia ulteriora resuscitatus, & ad omnes curas detergendas animatus fuerit: cùm interea temporis, si nummos suos, ac in minutas facies titulosque æs conflatum, domi, more aliorum, inops inter magnas opes, arcæ inclusum, instar Euclionis spectavisset, nil nisi custodiendi curam, metumque amittendi contraxisset. Quapropter, quæcunque aut in umbriferâ Academiâ à Platonicis disserebantur, aut in Lycéo à Peripateticis, inque pictâ porticu à Stoicis disputabantur, aut in villis à Consulibus Romanis scribebantur, vel denique à Satyris in nemoribus, à Sileno in antris, ab ipsis Musis in Parnasso frondoso cantabantur: isthæc universa atque singula noster unus in suo horto, illo Sapientiæ Gymnasio, optimarumque inventionum palæstrâ, imo illo omnium Venerum ac Gratiarum armamentario, in unum conjungebat: &, reversus domum, chartis suis immortalibus intexebat; quas omne ævum, omnis admirabitur posteritas. Si quispiam verò ad eundem vel in hortos ventitabat, vel cum eodem in campos, aut in sylvas, quod valetudinis suæ nonnunquam factitabat causâ, inter arborum umbracula repetitando, exspatiabatur: Bone Deus, quas sententias, quæ effata, quasque admonitiones saluberrimas, quasi aliud agendo in transcursu noster ille Apollo è prudenti pectoris delubro effundebat! quàm multa, quæ quotidie nunc, nobis admirantibus, contingunt in humanis rebus, jam tum vaticinabatur! Infinita proferre possem, quæ ipse egomet audiveram & annotaveram, nisi seculi nostri genium probè perspexissem, quo nihil minus libenter, quàm Veritas auditur. Quare satiùs est & consultiùs, ut ea nemini, nisi mihi, & meis Musis, intra Vestæ claustra recitem, ac religiosè velo Timantis obumbrata custodiam, ne aut à quibusdam illibenter audiar, aut etiam nostra in infinitum oratio excrescat. In gratiam tamen illorum, qui Musis hodie sacramenta dederunt, & Studiosi salutantur, paucissima hæc sabro: ut juniores sciant, quid Grutero nostro animi fuerit super hodiernis studiis ac literis: quarum profundissimam barbariem ac noctem certò instare semper divinabat, imò etiam paulò ante obitum prædicabat. Paucissimos enim extare, ajebat, qui fundamenta suarum facultatum rectè jacere anniterentur. Linguam Græcam (Hebræam enim taceo) illam omnis veræ sapientiæ nutricem, adeò sordescere, adeò evanescere; ut etiam Typographi affirment, ejus linguæ vix adhuc inveniri tres quatuorve amatores, aut laudatores: quare nolle eos ampliùs aut libros integros Græcorum, aut Latinos, quibus Græca sint immixta, excudere, ne grandem & pecuniæ & chartæ faciant jacturam. Quæ opinio indicet, quantùm mores Reipublicæ literariæ intra seculum mutarint. Addebat etiam, olim literatos à magnatibus ac proceribus in summo pretio fuisse habitos: at nunc ab iisdem frigore maximo feriri. Vel ob hasce rationes: quia doctorum plerorumque vita professioni neutiquam responderet, quodque diversum facerent ab eo, quod ab ipsis doceatur: quòd ipsi inter sese famam mutuis calumniarum reciprocationibus dehonestent: cum nemo ferè literatorum sit, qui non in alienis lucubrationibus suam prodere velit amarulentiam potiùs, quàm propriam inscitiam agnoscere: qui, trium hominum librorum à vulgo moribus ac literis nihil, sive parùm admodùm, distantes, tùm demùm Opinionis suæ ac Inscitiæ delirantis auctoritatem, apud populum tuentur, si illa, quæ non capiunt, velut inutilia, traducant. Cui infortunio etiam hanc pestilentiam, nostris studiis infensam, adjungebat. Quod nostri Scholares sive vituli, postquam in luto literario ab Ajace flagellifero & ipso literarum rudi, vix dum prima elementa arripuerunt, petulanti universitatis aliquo contubernio seducti, toti priùs corrumpantur, antequam quid corrumpi sit, agnoscant. Qui, vix dum semel atque iterum in transcursu, tanquam Prætor sive Consul in balneum iturus, uno atque altero Auditorio salutato, domi interim literis illiteratissimis dediti, ac privatis Disputationibus incumbentes, statim Theses meditentur, quibus in Doctores promoveantur. Qui tamen Optimos, quos Hellas atque Latium protulerat, Scriptores, vix paginis primoribus aspicere dignentur: à quibus omnibus, ac præsertim à Græcis, sine quibus tamen nemo rectè doctus unquam evaserat, adeò religiosè abstineant auctoribus, tanquam sub eis non unus lateret Basiliscus: in quorum loco nihil, nisi Neotericorum (ita enim vocant) libellos, partim ex perplexissimis otiosæ subtilitatis quæstiunculis, conflatos pervolutent; partim ex Compendiis, Epitomisque, aut ex Quintis Essentiis, ex Nucleis, Floribus, Mellificiis, Medullis, Thesauris, Gemmis, aliisque inauspicatissimis titulis, non aliter ac funiculos ex arenâ concinnatos, libros involent: quorum auctores ex omnibus aliquid, de toto verò colligentes nihil, non ipsissimis integris Autographis, sed à tertiis aut quartis repetitionibus sua scripta convasarunt: & ob id transcriptores potiùs dici merentur. Ex quibus omnibus infallibili colligebat argumento, censebatque, cum nostris studiis sic esse comparatum, si biennium adhuc catenatim, publicè privatimque, istæ bellicæ incubuerint calamitates, nihil amplius restare, quin pollinctores, vespillones atque præficas ad funus næniamque instruamus, qui literas atque literatos, jamjam animam agentes, uno eodemque componant, efferantque lecto: unisque exsequiis nobiscum prosequantur. Nam facem, quæ incendat rogum, minimè diu quærendam esse: quàm ultrò vel Bellona, vel Furiarum trias, vel miles quivis obvius, rusticorum malo ac miseriis artes incendiarias edoctus, omnesque disciplinas aversatus, ingerere, atque accommodare contendant. Sed ne hoc omine pessimo & infelicissimo orationem meam finiam; ecce jam à carceribus ad metam, sive mortem potiùs Gruteri nostri, me converto, in quo extremo gravissimoque Actu, non possum, quin te, ceu præsentem ac quasi adhuc spirantem, nobiscumque viventem alloquar, ô Maxime Grutere! qui sicut antea in totâ tuâ vitâ alios, ita nunc in morte temetipsum superasti. Triumphasti nempè continentiâ de vitiis, mente de sensibus, constantiâ de adversis, conscientiâ de calumniis, humilitate de honoribus, tolerantiâ de senectute, contemptu mortis de vitâ, morte de mundo ac æternitate. Quarè, sicut in omni vitæ flexu, corpus ad studia, studia ad animum, animum ad mortem, ita mortem semper direxisti ad æternitatem ac beatitudinem. Expectasti ultimum ac fatalem diem, sine ullo metu ac terrore, non secus, atque nauta portum: ut qui ab ætate ineunte non tàm optimè didiceras, quàm reipsâ maximè expresseras, nihil metuendum esse à mortali, nisi quod alienum esset à virtute. Imitatus eras prudentes navium gubernatores, dum post decumanos hujus mundi insanosque fluctus, ac procellas, subinde homini incubantes, morti, quam miseriarum humanarum esse portum sæpè dixeras, proram noluisti obvertere: sed lubenti ac lætanti animo, Rectori maris Deo, in quem semper spei anchoram figebas, agens gratias, in salutis vadum, ipsissimumque Bonæ Spei portum desiliebas. In omni vitâ, horam omnem, horam esse ultimam putabas: viam verò mortis, solam Heroum esse viam credebas: quâ non nisi animæ sublimes cœlorum templa ingrediuntur: qui, sicut mortem corporis, ita immortalitatem esse animæ persuasum habent. Igitur & ipse, mi Grutere, nihil minus, quàm miserè mori potuisti. Quomodo enim tuum fatum non fuisset fortunatissimum ac Heroibus dignissimum, qui diebus noctibusque nihil aliud agebas, nihil audiebas, nihil loquebare, quàm quod primò vitæ sanctitatem commendaret, deinde orbis fragilitatem ostentaret, & denique accuratissimam moriendi artem, atque methodum denascendi, demonstraret, quâ nulla major disciplina reperitur, ut non sine causâ majorum gentium Philosophi sapientiam definierint: Perpetuam mortis commentationem. Hinc, sicut alii horis singulis vivere incipiunt, quod stultorum est solenne: ita tu singulis momentis, quasi vivere desiisti, quod proprium est æternitatem meditantis. Sic non modò millies de die in procinctu eras, atque vasa ad migrandum collegisti, sed & toties beatissimam vivendi sanctimoniam resumsisti. Quod etiam in tuo symbolo expressisti: quod duo tan-

tùm conſtituerant vocabula: LABOR, & MORS: quorum illum nunquam intermittebas, hanc verò nunquam non meditabaris: ita, ut nihil fueris aggreſſus, quo non temetipſum, etiam ante nives capitis, receptui canere jubebas. In libello illo tuo, ſive Bibliothecâ, quam Tubingæ, apud nos, exul exulibus ſcribebas, nulli plures, quàm de Morte loco, charitas attribuiſti: cui unico ſex paginas dediſti: cùm aliàs in unâ ſæpè paginâ ſex locos deſcripſiſſes: ut præter omnes tibi locos unicus de Morte locus arriſiſſe videatur. Deindè in Præfatione illâ ultimâ ac fatali, quam Operi tuo omnium noviſſimo, Livio, tribus ante obitum ſeptimanis anno ſupra millesimum ſexcenteſimum vigeſimo ſeptimo, apponebas, te vixiſſe, &, quem dederat Deus Pater, peregiſſe curſum, ac jamjam te moriturum, augurabaris. Idem & eodem tempore, hinc inde ad amicos ſcribebas, idem ore ad familiares exprimebas, idem verſibus, inſtar Cygni morientis, proprii funeris cantator, reſonabas. Denique etiam Heidelbergam ipſam eodem anno, decimo Septembris die deſerens, in præſtantiſſimi Oſvvaldi Smendii, tui generi non degeneris villam, Berheldam, in monte à capellis ibi dicto ſitam, atque Heidelbergâ vix unius horæ itinere diſtantem, temet, magis magisque mortiferum ſentiens languorem, contuliſti: ut ab omnibus, quas urbium clauſtra alunt, curis, liber atque vacuus, in loco libero, & à ſordibus humanis vacuo, te totum Deo, totum humani generis Redemptori manciipares. Ibi ipſemet tuum lectulum, in quo certò mori velle te ajebas, alio locari atque ſterni mandaviſti. Deindè ne in morte quoque quicquam ab antiquo tuo remitteres, aliquot horas biduo ambulaſti, & colloquia de rebus, non niſi homine Chriſtiano dignis, habuiſti: donec jam ipſiſſimo illo tuo decretorio die, qui vigeſimus Septembris erat, appetente, atque illâ laſſitudine ad ſummum ingraveſcente, te omnia tua Deo commendaſſe jam pronunciaviſti, neque ominari quicquam poſſe melius dixiſti poſt bonam Conſcientiam, quàm noviſſimam feliciſſimamque ex hâc terrâ abitionem. Nec tamèn minus eodem die cum chariſſimis tuis paterfamilias jam moriturus ultimum prandebas. Inde, horâ tertiâ poſt meridiem appetente, etiam hoc antecedebat mortem tuam digniſſimum notatu. Oritur tempeſtas omnium atrociſſima: non aliter, ac unanimi ventorum fulminumque conjuratione, montes montibus evertendi atque commiſcendi eſſent: aut, quaſi cœlum ipſum, ipſa ſua fulgura ac fulmina, ſuos illos ſonitus ac tonitrua miſiſſet, ut tibi literarum Duci, atque omnium Scientiarum velut Imperatori jamjam ſigna moturo, atque è terris abituro, horrendo illo claſſico ingeminato, vale ultimum præcantarent. Quod & temetipſum, licet invalidiſſimum, in admirationem tamèn rapiebat. Cœlo itaque vix ad quietem compoſito, etiam te compoſuiſti ad quietem: in quâ, velut jucundiſſimo ſopore vinctus, (quo eodem puncto, te neſciente, nuncius appulerat, qui te in Academiam Groningenſem ad profeſſionem Hiſtoriarum atque Linguæ Græcæ vocaverat) tu tamèn, ſine motu ullo, ullaque voce, horâ decimâ, animam tuam, in manus Jeſu noſtri, ſenſim ſine ſenſu, commendaſti: & ſic grande illud depoſitum ac pignus, cœlo natali redonaſti: cujus mox reliquiæ & corpus, in quo tantus hoſpes annos ſexaginta ſex, menſes novem, dies ſeptendecim, horas tres, habitaveras, Heidelbergam translatum, atque honorificè, die dominicâ ſequente, horâ pomeridianâ primâ, Programmate laudes tuas ad cœlos uſque attollente, ad januam tuæ domus appoſito, in Divi Petri templo ſepultum, nunc in magno matris noſtræ gremio requieſcit: ſolâ tuâ gloriâ exceptâ, quæ mundum univerſum circumambulans, & ſtare loco neſciens, eundo vires capit, caputque inter nubila condit. In iſto tamèn tuo funere non minùs puerorum, hymnos Chriſtianos præcinentium, agmina, atque amicorum civiumque lugentium ampliſſimæ coronæ, quàm & ipſæ Muſæ, Charites ac Suadæ, veſtimentis lugubribus amictæ, tibi exequias iverunt, nænias cantarunt, pectora planxerunt, ungue crines lacerarunt, ſupremumque vale inſolabiliter ingeminarunt. Tu tamèn interim, in eo loco dormis, ubi tot Nobiles Illuſtresque animæ, aut potiùs tot Nobilium Illuſtriumque animarum domicilia, ut Lotichii, ut Mycilli, Sylburgii, Meliſſi, Chriſtmanni, Hippolyti à Collibus, Bachovii, Freheri, aliorumque, quos referre mora eſt; generoſa quondam, ac dilecta corpora, ſomno ſuaviſſimo fruuntur: ubi tuus ille Socer Heinricus Smetius, ejusque Filia Johanna, tibi quidem vix biennium nupta, reliquæque tres adhuc conjuges, omnium dulciſſimæ, tecum reſurrectionem expectant. Neque etiam inferiis cares. Ecce Hoſtes tui infenſiſſimi ad tumulum mactati jacent. Inſcitia & Invidia: quarum alteram labore, alteram exſuperaſti probitate ac virtute: quæ ſola inſtar turris inexpugnabilis, nullis tormentorum tonitrubus, nullis fatorum liventiumque linguarum fulminibus concutitur. Et quanquam poſt te multa adhuc imperfecta relinquebas: tamèn tot & tanta abſolviſti: quantùm nullus unquam ante te, neque etiam poſt te, abſoluturus eſt. Talia quippe ſacra in humanis non aliter conſtare vides. Qui tui ſimiles, aliquid immortale moliuntur, illorum nunquam non immatura mors eſt. Contra verò, qui Voluptatibus colliquefacti, quaſi in diem vivunt, quotidie vivendi cauſas finiunt. Tu, qui poſteros cogitabas, qui nepotes nondum genitos erudiebas, qui memoriam tui extendebas, qui tot vigilias, tot labores, tot ſudores, bono publico, exantlabas, nullam niſi repentinam poteras obire mortem, ut quæ nunquam, quamdiu etiam vixiſſes, non inchoatum aliquod inveniſſet, quod abrumpere potuiſſet; quanquam infinita ſunt, quæ æternitatem repererunt. At interea, Vos beatiſſimi Gruteri manes, eſtote contenti meâ ſimplici hac in vos pietate: acquieſcite hoc egeno orationis libamine; quo, fateor, veſtras laudes, quæ ſilentio potiùs, quàm Eloquentiâ hac ſterili, evehi debuiſſent, me culpâ paupertini ingenii detriviſſe potiùs, quam exornaſſe. Et quanquam, ô beatiſſime Grutere, in me non habueris laudatorem Homerum, ut Achilles ille olim: hoc tamèn non parùm me ſolatur, atque reficit, quòd ego inops atque impar laudator, in te habuiſſem Achillem imò Herculem: niſi Achille major, major Hercule, fuiſſes. Commendavi jam, aut commendare velle cœpi, imò æternum commendare te non deſiſtam, quem nec ego, neque ullus unquam ſatis commendabit: & ob id ipſum quivis commendare volet: quia commendare ſatis nemo poteſt: niſi ipſe, qui commendandus eſſes (ſi per modeſtiam hoc tuam fieri potuiſſet) te commendandum ſuſcepiſſes. Interim elegantiſſima tuæ vitæ tabula, ac imago, poſthac in omnium rectè ſentientium generoſis mentibus, ac vetuſtatis penicillo, vivis coloribus expreſſa, indies in multa millia exemplarium depingetur. Omnes quoque ſeculorum omnium ſcriptores tibi poſthac ſua omnia debere fatebuntur. Et ſicut tu, in tuis Bibliothecis, antehac cum mutis atque mortuis doctoribus, adhuc vivus loquebaris: ſic impoſterum, te jam mortuo, doctores ac magiſtri vivi, tecum loquentur. Et ſic tua memoria, tuus honos orbem terrarum integrum circumambulabit. Gloria tua, tua fama, quam in vivis jam vidiſti, nunc poſt tuam mortem ab omni, ſi qua eſt futura unquam, poſteritate magis magisque religioſiſſimè coletur, propagabitur, amplificabitur. Tuæ Chartæ, tua Opera, illa magnæ tuæ mentis pignora æterna, ſemper vivent, ſemper florebunt, ſemper in ſinu, in manibus mortalium circumferentur: & ubique ab oculis admirantium legentur. Tuos verſus, omnium ſeculorum æternâ memoriâ digniſſimos, nulla oblivionis nubes obſcurabit, nulla invidiæ litura depravabit: nulla temporum injuria obliterabit: nulla non recordatio bonorum hominum cum ſtupore æſtimabit. Tuæ denique laudes, tuæ Virtutes, ab omnibus ubique etiam aliis enumerabuntur. Quas, ſi nos tacebimus, non tamèn noſtri poſteri tacebunt: aut, ſi poſteri tacebunt: non tamèn magiſtri muti obmuteſcent. Et licet etiam hi tacere velint, ecce ipſi mortui, ecce buſta ac cadavera, ecce cineres ac rogi, te loquentur, te colent, te venerabuntur: quæ Antiquas ſuas, quas à te reſtauratas acceperunt, Inſcriptiones, toti cœlo, toti mundo, oſtentabunt: quæ ſuos lapides, quibus vitalitatem ſuam, ſuam loquacitatem reparaſti, etiam obliviſcentibus ac invitis mortalibus, in os, in oculos, imo in memoriam, impingent: quantusque fueris, ubique ingrato orbi inculcabunt. Non minus tamèn etiam noſtri poſteri in diverſas partes ac ſententias, tuâ magnitudine perculſi, diſtrahen-

tur;

tur; ac propter te diversimodè etiam in nos animati erunt. Alii, dum te admirabuntur, etiam nos, qui te vidimus, te audivimus, qui tecum viximus, tecum locuti fuimus, si non admirabuntur, tamen fortunatos ac beatos judicabunt. Alii nobis, quibus te vivente ac præsenti frui datum, hanc felicitatem invidebunt. Alii nos vituperabunt, quod te venerari majori honore noluerimus. Alii non minus tristes erunt, quod suis temporibus non nascebaris, quàm nos, quod nostris denascebaris: ut qui solummodo in id reservati fuimus, quò, postquàm tuam sublimitatem ob imbecillitatem nostram, verbis exsequi desperamus, tamen ob amorem atque admirationem, quâ ergà te tangebamur, luctum nostrum ac dolorem, quoquo modo testaremur. Quod parentationis genus, sicut hodie in hoc universo hujus orbis auditorio, in hoc domicilio Musarum infinito, ex hâc cathedrâ altissimâ, ex his pulpitis æternis, à nobis, me præeuntibus, est inceptum, ita nunquam in posterum intermittetur. Quare sic extremùm, sine fine tamen, te virorum maxime nunc alloquor. Accipe, ô ingens anima, hos flores, licet aridos, licet marcidos, licet luctu atque lacrymis, & squallore contritos: tamen accipe qualescunque, ô Grutere: quos tuo tumulo, quem omnes exteri posthac colent, omnes posteri adorabunt, ille injicit ac spargit, quem ipsemet validissimè ac perseverantissimè diligebas: cum quo seria, cum quo jocos, cum quo tristia atque læta miscebas: quem, ut insolitum affectum insolito quoque titulo testareris, subinde fraternimum tuum nominare dignabaris: imò etiam, qui te, licet amicorum tuorum infimus fuisset, tamen, quantus esses, non parùm se inspexisse gloriatur. Accipe has violas, accipe hæc lilia, has rosas, licet serâ jam hieme, licet sero tempore languentes, ab illo tamen tibi lectas, atque huic urnæ tuæ injectas; qui tuas illas dotes, & præsens altissimè intuebatur, & te, ut parentem venerabatur, & te, ut magistrum sequebatur, & te denique velut numen aliquod de cœlo lapsum cum horrore contemplabatur. Hoc animo, hâc pompâ, ô Maxime Grutere, hisce ornamentis, nos jam sepulchrum tuum, tuam urnam, tuum tumulum, adimus, colimus, veneramur: hisce votis monumentum tuum, in quo, post tot maximos labores, ac vigilias, tandem dormis, & quiescis, salutamus: quod omnes posthac boni, velut templum aliquod, aut Pharum, adibunt, colent, salutabunt. Sic Vale, Vale, Vale, GRVTERE. Nos te eo ordine, quo Deus jusserit, sequemur.

DIXI.

OPERA
A
IANO GRVTERO
Præstita ac Publicata.

POëmata varia: *quibus ingenii sui facere periculum voluit. Unde &* Pericula *inscripsit. Sunt in his* Elegiarum libri IV. Manium Gulielmiorum: *in Funere Jani Gulielmi l.* 1. Epigrammata Harmosynes sive Ocellorum. *l.* 1. *Heidelbergæ,* 1587. *in* 8. *for.*

Suspicionum *libri* IX. *In quibus varia Scriptorum loca emendata & explicata. VVitebergæ, anno* 1591. *in* 8.

Confirmatio Suspicionum Extraordinariarum, *contra Dion. Gothofredi in Senecam Philosophum conjecturas. Francof.* 1591. *in* 8.

Notæ Criticæ, *sive Emendationes & Animadversiones in Senecæ Philosophi Opera omnia. Heidelbergæ, typ. Commelini.* 1593. *in fol.*

In Senecæ Tragœdias. *ibidem*, 1600. *in* 8.

In Statii Papinii Poëmata. *ibidem, anno eodem. in* 8.

In Martialem. *eod. an. in* 8.

In Titum Livium. *Francofurti, an.* 1609.

In Tacitum *&* Discursus *in eundem. Heidelbergæ*, 1604. *in* 4.

In Florum. *ibidem*, 1597. *in* 8. *& alibi.*

In Vellejum Paterculum *Francofurti, typis Jonæ Rhodii.* 1607.

In Plinii Secundi Epistolas. *Variantes Lectiones. Francofurti apud Nicol. Hoffman.* 1611.

In Panegyristas veteres, *ibidem in* 12. *eodem anno.*

In Historiæ Augustæ Scriptores, *(quos vocant minores) universos notas selectas indicemque locupletiss. in fol. Francof. apud Marnios an.* 1611. *Et Lugduni Batavorum*, 1619. *in* 12.

In Querolum, *incerti auctoris Comœdiam, typis Commelini. an.* 1595. *in* 8.

In Mimos Publii Syri: *quibus similes è variis auctoribus adjecit Sententias variis Linguis. Item Adagia Gallica, Germanica, Belgica, Italica, Gallica & Hispanica. Francof. Jonæ Rhodii. an.* ↄIↃ. Iↄ CX.

Inscriptionum Veterum Roman. *ingens vastumque volumen, typis Commelinianis evulgavit. anno* 1601. *in fol. Auspiciis Marci VVelseri & Josephi Scaligeri, post Martini Smetii editionem, apud Batavos, cui auctarium Justus Lipsius adjecerat: & ipse Scaliger Indicem (undecim mensium opus) apposuit.*

Marci Tullii Ciceronis Opera *omnia, quæ extant, ex solâ ferè Codicum Manuscriptorum fide. Ex Bibliopolio Frobeniano. an.* ↄIↃ. Iↄ. CXVIII.

Lampadem, *sive Thesaurum Criticum edidit: hoc est, scriptores Criticos: Tomis sex distinctos. Francofurti*, 1606. *in* 8. *& sequentibus.*

Chronicon Chronicorum, *Ecclesiasticum & Politicum (quatuor grandibus Voluminibus constans) Collectore Johanne Gualtero Belgâ in* 8. *Francof. in Officinâ Aubrianâ an.* M. DC. XIV. *Edidit etiam Delicias Poetarum Germanorum & Italorum, &c.*

Plauti Comœdiæ *ex recognitione ejusdem, apud Zachariam Schurerum. an.* M. DC XXI.

Florilegii Magni *seu Polyanthea Tomus secundus, Argentorati, sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri, an.* M.DC.XXIV. *Composuit quoque Polyanthea Tomum tertium & quartum: nondum tamen editos: qui si referantur ad Langianum, sunt Oceanus ad guttulas.*

Bibliotheca Exulum, *sive Enchiridion divinæ humanæque prudentiæ. Francof. sump. Laz. Zetzneri.* M. DC. XXV.

Livius *vulgatus ter: anno scilicet* CIↃ. Iↄ. CXIX. *Et ultimo*, 1627. *cui accesserunt notæ Criticæ & Politicæ, cum quinquaginta aliquot in Cornel. Taciti. Discursibus Francof.*

Commentarius novus, *in P. Syri Mimographi Versus: nescio an editus.*

Denique Mors & perversa temporum fecit facies, ut non potuerit ultimam manum imponere Gruterus Dissertationibus mille in Tacitum. Suspicionum XXX. Libris in classicos Authores. Proverbiisque omnium Linguarum in locos Communes redactis, &c.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΩΝ

ΠΑΛΑΙΩΝ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΩΝ ΕΚΔΟΣΙΝ,

ΥΠΟ ΤΟΥ ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΥ

ΙΑΝΟΥ τοῦ ΓΡΟΥΤΗΡΟΥ

ὡς ἀκριβέστατα ἐκπονηθεῖσαν.

Ἔργα παλαιγενέων, μνήμης ὅσα ἐξετελέσθη
  Εἰν ἄρει, εἰρήνῃ τ', ἄξια αἰδίου,
Τεκτοσύνης πρόπαλαι σοφοὶ ἀνέρες εἰσεκόλαψαν
  Ἐς χαλκᾶς στήλας, μαρμορέας τε πλάκας.
Καί τις ἐπεὶ πατέρ' ἐσλὸν ἀπώλεσεν, ἢ βασιλῆα,
  Ἢ γόνον, ἠὲ φίλην σύζυγα, ἢ ἕταρον·
Λάϊνον εἰσάμενος τύμβον, καὶ τοὔνομα γλύψας,
  Ἔσχεν ἄκος στήλην θυμοβόροιο πόθου.
Νήπιοι· οὐδ' ᾔδεισαν ὅσον σθένος ἐστὶ χρόνοιο,
  Ἔργματ' ἀμαλδύνειν οὐτιδανῶν μερόπων.
Γλύμματα δὴ φθείρας πάντ' ἠίστωσεν ἂν ὠκὺ
  Αἰών, ΓΡΟΥΤΗΡΟΥ μὴ ἐλεαιραμένου.
Θραύσματα κολλήσας δ' ὅγε, κ' εἰν ἑνὶ τεύχει ἀγείρας,
  Εἰς τοὺς αἰῶνας πῆξ' ἀδάμαντι μένειν·
Νικᾷ πάντα χρόνος· νικᾷ χρόνον ἡ βίβλος ἥδε.
  ΓΡΟΥΤΗΡΟΣ λήθης φάρμακον εὗρε μόνος.

ΙΣΑΑΚ ὁ ΚΑΣΑΥΒΟΝΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

In frontiſpicio Panthei Romani, quod nunc ædes S. Mariæ Rotundæ, ſequentes duo leguntur tituli. Prior literis pedalibus.

PANTHEI

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM FECIT

Alter paulò inferius, literis digitalibus.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. *POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT

Vidit Smetius. v. 1. Boiſſ. T. vi. 141.

* Onuphr. legit. POT X. male. Pag differt. Hypat. p. 224.

2

Romæ in domo Laurentii Vellæi, ad forum piſcarium, ara marmorea.



In latere dextro.





In latere ſiniſtro.



A Pighio Smetius. collatus cum mſ. Pigh.

3 *Hiſpali extra civitatem, in via quæ ducit ad Carmonam.*

PANTHEO
AVG
SACRVM
L. LICINIVS
ADAMAS
LIB. FAVST
IIIIII. VIR. AVG
D. D

A Busbequio & Morali. Sed ex Pighio emendatum IIIIII. pro II & in calce additum D. D

4 *Caſtilione prope Mediolanum, in templi fornice antiquo, marmoreo, quadro.*

Collat. cum mſ. Pigh.

HERCVLI. MERCVRIO
ET. SILVANO
SACRVM. ET
DIVO. PANTHEO. EX. V.*

Pighius à Studioſo quodam accepit. Extat & apud Capac. lib. 1. Hiſt. Neap. p. 32.
* VOTO Grut.

5 *Aſtigi inter Cordubam & Hiſpalim, nunc Ecigiæ, extra eccleſiam S. Franciſci.*

P. NVMERIVS. MARTIALIS
ASTIGITAN. *SEVIRALIS. SIGNVM
PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI
PONIQVE. EX. ARGENTI. LIBRIS
C. SINE. VLLA. DEDVCTIONE
ſic
IVSSIT

*SEVIR AVGVSTALIS mſſ. Pigh.

viceſimæ ſtil. Pigh.

A Busbequio, eque ſchedis Antonii Auguſtini, Archiepiſcopi Tarraconenſis.

6 *Neapoli in ædibus Fundecari.*

L. VESTORIVS. ZELOTVS
POST. ADSIGNATIONEM. AEDIS
FORTVNAE
SIGNVM. PANTHEVM
SVA. PECVNIA. D. D.

Ex Apiano. Habetur etiam apud Capac. lib. 1. Hiſt. Neap. p. 229.

Romæ in S. Vrſo.

7 SIVE. DEO
SIVE. DEAE
C. TER. DEXTER
EX. VOTO
POSVIT

Ex Apiano. Eſt & apud Capac. lib. 1. Hiſt. Neap. p. 197.

DEOR. DEARVMQVE.

Augustæ Taurinorum in ædibus Vagnonis.

1

Collat. cum mss. Pighii.

DIS. OMNIBVS
HYGINVS
PRIAMI. FRATER
POSVIT.

E Pingonio.

Brixiæ in foro Novarino, in horto Comitis Gambarae.

2

DIIS. DEABVS
OMNIBVS
1 VETVRIVS. L. L
2 SECVRIVS
PRO. 3 SE. SVISQ.

A Pighio Smetius.

1 mss. Rubei L. VETVRIVS.
2 mss. Rub. SEGOMANVS.
3 mss. Rub. SE ET SVIS. Eadem inscriptio habetur p MV. 4, sed ibi legitur pro SECVRIVS SECVNDVS.

In Cumberland Angliæ.


3 DIS. ET DEABVS. O. ? ?.
PS. POSVIMVS
COH. I. DELM.

ſ P POSTV. MVS.

Ex Cambdeno. Emendatiorem vide p. MV. 3. ubi Gruterus. *ita Cambdenus postea mihi, ut ibi legitur.*

Ad oppidum S. Viti in Carinthia, sub imagine Crucifixi.

4



Ex Apiano.

Firmi, in Piceno.
In porticu palatii Priorum, fragm.

5 DEVM. DEARV
SVEDIA. DORI
D. S

A Io. Metello Smetius. Vidit lapidem Gudius.

In Ebersdorf apud Illust. Hier. Beck a Leopolsdorff, in tabula.

6 DEIS. DEABVS
ALA. I. VLP. CONT
∞. CR. CVI. PRI
Q. ER. INGENVS
. . . P. . . A . . .

Ex Clusii schedis Gruterus.

Neapoli.

7 DIS. DEABVS
SACR
EX. VOTO
VICTOR
AEDITVVS

Ex Apiano.

Volsiniis.

8 DIIS. DEABVSQ
PRIMITIVVS
. . . .
EX. VOTO

A Castalione Gruterus.

Repertum Romæ in vinea Huberti Strozæ in Cælio monte.

Collat. cum mss. Pighii. a Grut.

9 DIIS. DEABVS
PENATIBVS
FAMILIARIBVS
ET. IOVI. CETERIS
VE. DIIBVS

Smetius vidit.

Comi, ad cœnobium Sancti Columbani.

10 DIIS
DEABVS
QVE. CVM
IOVE

Ex Apiano.

Ocriculi, in Umbria, in templo divæ Mariae, in altari Sancti Fulgentii.

Collat. cum mss. Pighii.


12

PRO. SALVTE. ITVS *r* AC *r*
REDITVS. D. N. SANCTIS
SIMI ▭
TI. AVG. AEDICVLAM *r*
CONCILII. DEORVM *r*
DEARVMQVE
AVRELIVS. FAVSTVS *r*
PROT. *DIVINI LATERIS *r*
AVG. N. EX. VISV. DEAI
VALENTIAE
S. P. F. C

Describ. Metellus * Ex MS. Pighii sic emendavit Gruterus. Idem Pighius lacunam sic implendam esse censet M AVREL. ANTONINI INVIC & existimat esse Elagabalum, cujus nomen post ejus mortem in aliis quoque fuit deletum.


Albæ Juliæ suburbio in lapide parieti domus coædificato.

11



Gruterus è Sigleri schedis. Hæc verba * IPSIS. AQVAS APERIENDAS, erasa repraesentat Zamosius c. 7. Pro P. S. F. aliae schedae teste Grutero habent P. S. E.


1 *Spoletii.*



MARCIANVS SOZOMENVS Ursini schedæ. Gruterus in Addendis conjicit, MARIANVS SOZOMENE. Cetera ex Vrsini schedis sic emendavit Gruterus.

A Nicolao Florentio Lipsius.

2 *Engedini Transilvaniæ.*



* OPELLIVS sched. Ursini. ORELLIVS dicitur in DCCCXXXVII. 4. & sic Bongars. Gud.

E schedis Clusii Gruterus.

In diœcesi Eistetensi in Norico Ripens.

3
I. O. M
DIS. DEA
BVSQ PVB
*CONSENTIB
V. M. S

* CONSTITVTIANVS Aventin. in Bojor. sed corrupte. *Constitutini* est in DCCCXXXVIII. 4. & DCCCVII. 5. Gud.

Ex Apiano.


In Nansfeld arce Episcopi Achostadiensis. Putarim tamen idem cum priore.

4
I. O. M.
DIIS. DEA
BVSQVE. PVB.
CONSTI
TVTIANVS

Ex Apiano.

Bergomi, ad Sanctum Michaëlem putei albi

5



Ex Apiano.

In S. Apostolorum Romæ.

6
I. O. M.
CAELIVS. BARO
VOTVM. SOL
L. M. *N. I. O. T.
ET. DIIS. DEABVSQ
MASSELLIA. VALE
RIANA.
VOTVM. S. L. M.

* Distinguit hic Scaliger, & aliam inscriptionem ordiri putat. *Numini Jovis Olymp. Tonantis.* Grut.


E Marochio.

Effossum Augustæ in hortis qui sunt è regione collegii societatis Jesu, anno CIϽ IϽ L.

7
. . . .
ETERIS ♀ DIIS
DEABVSQVE
OMNIBVS ♀
ADIVTORIVS
ROMANVS. *D. M
V. S. †L. M

Ex Velsero. * D. M. Decurio municipii. Velf. † L. Grut.

8 *In pago Freistritz non procul à Celeia & Græczio.*



Boissardus Grutero.

9 *Spoletii.*

IOVI. O. M
FORTVNAE. QVE
MELIORI. AVG
ET. DIS. DEABVS
sic
QVAE. COMMVN
IBVS. M. GELLIVS
STEPHANVS. *IVN
CVM. STEPHANO. PATRE
DOMV. TERTIANA. EX
DIRVTION. RESTIT. DEDICARVNTQ

Gruterus è Fulvii Ursini schedis.

1 *Romæ in S. Apostolorum.*

I O V I . O P . M.
E T . D I I S . [1]E T . [2]D E A B V S
O M N I B V S
P . *R O S A R I V S . E T . M
A V R E L I I . †L V C I A N I
A S E L L I O . V E R V S
A M I C V S
V . S . L . M

E Mazochio.

1 Non habet Pigh. 2 DEAB. Pigh.
* ROSALIVS Pigh. † LVCILIANI Pigh.

2 *Mediolani in S. Satyri : in ara grandi.*

I. O. M. DIIS. DEABVS
*MAS. VETVS. ET. FIRMVS. F
TI. †FIR. MASI. VI. VIR. *SENIOR
sic
CVM. SVIS. PRO. SALVTAE
†MINORI. LVMI. TATAE. V. S. L. M
EX. VOLVNTATE. Q. *AEBENI
SECVNDINI. ET. RVMIAE

Ex Apiano.

* MASVETVS Alciati schedæ. hinc Reinef. legit *Mansuetus*. male. Nam explicandum : Masii Vetus & Firmus, filii Firmi Masii. Masius est nomen gentile. Sic VIII. 3. Rubrii Antiochus & Hymnus, Lappii Mutilus & Rufus. Gud.

† FIRMASI Alc.

* IVNIOR Alc. Sed recte *Senior*, qui sic dicitur, ut distinguatur a Masio Firmio, filio suo. Gud.

† Reinef. legit *Incolumitate*. male. lego MINORIS. RVMI. TATAE, id est Rumi nutricii. *Tata* nutricius, ut *Mamma* nutrix. vide DCLXII. 3. RVMI autem lego, cum statim sequatur RVMIA, cujus patet videtur fuisse. Gud.

* ALBINI Alc. Reinef legit ALFINI ut CCCLIX. 3. ALFINIO SECVNDO.


Mediolani in Sacello Sancti Michaelis post Sanctum Ambrosium ; in ara.

3
I . O . M .
D I S . D E A B V S Q V E
O M N I B V S
*P . L O ⁚ ⁚ T E R T I V S
C V M . S V I S
V . S . L . M

Ex Apiano.

* PLOTERTIVS Alc. sched.

4 *Albæ Juliæ.*



E Lazio.

* TRAIANO Ursinus XI. 3. Grut. Non dubium quin in lapide fuerit TRAIANO. Hoc nomine enim Jupiter in Dacia colebatur. infr. XI 3. Gud.

Augustæ Vindelic. in hortis qui e regione collegii Jesuit.

5
. . . O . M
. . . E T E R N O
. . . S E R V A T O R I
. . . .
. . . D E A B V S Q V E
. . . V S . L O C I . . . .
. . . .
. . . P . P . R E T I E
. . . O . C V M . S V I S
. . . N I B V S . . . .
. . . I I I . N O N A S . . .
. . . .

Ex Velsero.

6 *Dottendorfii in æde sacra.*

I . O . M . E T . G E N I O
L O C I . D I S . D . Q
O M N I B V S . A V R
S V P E R I N I V S
M A R S V S . B - F
C O S . P R O . S E
E T . S V I S . V . S . L . M
M E S S A L A . E T
S A B I N O . C O S

Freherus à Campio.

Camstadii exstat, in
7 *oppido ad Nicrum.*

IN. H. D. D. I O V⁚ — IOVI sched. Studionis.
ET. IVNONI REG
⁚ GENIO. LOCI⁚ — nihil deest.
ET. D. D. OMNIB
P. S E D V L I V S
I V L I A N V S . *M I L — * M. Stud MILES. VIII. Oetingius.
LEG. VIII. AVG. AN
*TONIANAE. BF. CoS — * ANTONINIANAE. Stud
PRO. SAL. SVA. ET. SVOR
STAT. ITERAT. POSVIT. IMP — * Studio uno versu DIVI ANTONINI. AVG PE VR. Oetingi vero DIVI ANTONINI AVG. E VR.
* DIVI. ANTONINI. AVG
PII. ET. VER

Ex Apiano.

8 *In villa Tacstein in Transilvania.*

I. O. M. I V N O N I . R E G I N A E
M I N E R V A E . O M N I B V S
D I S . I M M O R T A L I B V S
Q. AXIVS. AELIANVS. VET. PROC
A V G . E T . A E L I A . R O M A N A
E I V S . C O N I .

E Lazio.

Romæ in ædibus Bern. Cavalerii.

9
D I I S . P R O P I T I I S
M . A C T I N I I
V I V A T I S


Gruterus è Knibbii schedis.

Narbone.

10
P R O P I T I S . D E I S

E Scaligeranis.

Viennæ Austriæ in ædib. Lazii, parieti insertus.

11


Gruterus a Clusio, qui vidit, & Lazius l. 11. de Rep. Rom. c. 6.
* MARTIANVS Laz. † lege QVAES.

Romæ effossum in monte Cælio ad D. Mariæ in Dominica fragm.
12
Collat cum mf. Pigh.

O P T I M V S . M A X I M V S . . .
C A E L V S . A E T E R N V S . I V P P I
T E R . I V N O N I . R E G I N A E . .
M I N E R V A E . I V S S V S . L I B E N . . .
sic
D E D I T . P R O . S A L V T E M . S V A M . . .
M . M O D I V S . A G A T H O . E T . P R . . .
F A V S T I . P A T R O N I . H O M I N I S . S . . .
E T . H E L P I D I S . S V A E S . C V M . S . . .

Ex Orthogr. Aldi & Aegio Spoletano in notis ad Apollod. biblioth. 1.

Lugduni in perirrhanterio sub fenestris templi S. Laurentii.

13
I . O . M
*E T
N V M I N I B V S
A V G

* Sic mf. Pigh. & Ligor.

Ex Paradino.

Romæ, in via publica.

1
IOVI. O. M
ET. DEAE. SVRIAE
ET. GENIO. VENALICI
C. GRANIVS. HILARVS
CVM. LISSIA. SABINA
V. V

E Knibbii schedis Gruterus.

Romæ in via publica, in vinea Hannibalis Zanesii Advocati, effossus anno 1567.
Collat. cum Ursini & Pigh. schedis.

2
I. O. M
ET. SOLI. DIVINO
ET. GENIO
VENALICI
Q. IVLIVS. MAXIMI
LIB. FELIX
CVM. IVLIA
Q. F. ROMANA
CONIVGE. *LIB. ANIM
VOT. SOLVIT
*
IMP....... CAESAR. AVG. GER. XII
SER. CORNELIO. DOLABELLA. COS

* LIBENS ANIM. Pigh.
* DOMITIANO Ligor.

Ex Castalione & Ligorio, cum quo contulit Gud.

Albæ Juliæ, in ejus Cathedralis exteriore pariete, vidit etiam & descripsit Monavius.

3
I. O. M
IVNONI. REGINAE
MINERVAE
L. ANNIVS. ITALICVS. HONORATVS
LEG. AVG. LEG. XIII. GEM. ANTONINIANAE
PRAEF. AERARII. MILITARIS
SODALIS. HADRIANALIS. CVM
* GLAVDIA. TORQVATA. SVA
ET. ANNIIS
ITALICO. ET. HONORATO
ET. ITALICA. FILIIS

Inscr. CCLIX. 3. eadem inscriptio occurrit, nisi quod pro I. O. M. &c. VICTORIAE dicata sit.
* G. AVIBIA. a Monav.

Ex Lazii Viennensibus, & schedis Verderii, & Monavii.

Inter congestos lapides ante scalam Palatii Albæ Juliæ.

4
I. O. M
IVNONI
REG. MIN
Q. CORNEL
SILVANVS
LEG. V. M. *P. C
V. S

* PO. Bongars.

Ex schedis Sigleri & Clusii, Zamosiique.

Inventum Augustæ marmor elegantissimum.

6
IOVI. IVNON. MINER
ANTONIA. M. LIB
APHRODISIA. SCYPHOS. H
VENEREVM SPECVLVM
DONVM. DEDIT

Ex Iacobonio.

Mediolani, ad portam Novam, in ara antiqua grandi.

5
IOVI
IVNONI
MINERVAE
*Q. V. G. V. S
L. M

* Alciati schedæ has literas uno versu exhibent: ut & Apianus.

Ex Apiano & Morigio.

1 *Romæ, in domo Cæsia.*

IOVI IVNONI. HERCVLI
SACRVM
CN. DOMITIVS. CN. F. SERE
NVS. SACERDOS. ISIDIS. ET
DOMITIA. VXOR. V. S. L. M

Ex Onufrio & Aldo.

2 *Metis, in tabula ædium Clerevantiarum.*

I. O. M
IVNONI. MAGNAE
HERCOLI
ET. GENIO. LOCI
PRO. SALVTE
SVA. ET. GENTIS. SVAE
COR. SECVNDVS
EX. VOTO

Boissardus Grutero.

3 *In ruinis vrbis Warhel: sive Varhelii Transilv.*

I. O. M
ROMVLO. PARENTI
MARTI. AVXILIATORI
FELICIBVS. AVSPICIIS
CAESARIS. DIVI. NERVAE
TRAIANI. AVGVSTI
CONDITA. COLONIA
DACICA
SARMIZ
PER
M. SCAVRIANVM
EIVS. PROPR.

Ex Lazio & schedis Clusii.

4 *Cantharopoli ad Nicrum.*

IN H. D. D. IOVI
ET. IVNONI. REG
ET. GENIO. LOCI
ET
:: GERIONIS SR
VERVS. MIL. LEG
sic
XXII. ANTONIAN
BF. COS. PRO. SVA
ET. SVOR.
DIV
ANTON ::::::::


Ex Apiano, p. 461.

5 *Romæ, eruta in via sacra, ante ædem Sanctorum Cosmæ & Damiani.*

P. VALESIVS. VOLESI. F
POPLICVLA
IOVI. IVNONI
SAC
P. PETRON. RESTITVIT

Ex Onufrio, & Vrsino, & August. dial. x. p. 268.

6 *Albæ Juliæ, pro valvis templi.*


I. O. M. ET
IVNONI. REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AVR. AN
TONINI. PII. AVG. ET
IVLIAE. AVG. MATRIS. AVG
M. VLP. MVCIANVS
MIL. LEG. XIII. GEM
*HOROLOGIAR. TEMPLVM
A. SOLO. DE. SVO. EX. VOTO
FECIT
FALCONE. ET. CLARO. COSS

Vide Ezech. Spanh. de usu numis. p. 628 de hac inscriptione.

* HOROLOGIARVM Tomas. de donariis cap. 19. HOROLOGIARE. Gudius.

Ex Sigleri & Clusii schedis.

Ad Amphitheatrum.



E. Boissardi Antiqq. T. III. p. 128.

J. Lamsvelt fec.

Romae, ad Amphitheatrum.

1

Hic visitur Aquila, expansis alis; pede utroque tenens fulmen.

I. O. M
ET. IVNONI. REGINAE

PRO. SALVTE
M. AVRELII. ANTONINI
PII. FEL. AVG
ET. IVLIAE. AVG
IVL. PVDENS. SEVERIANVS
ARAM. CVM. BASI
POSVIT

E Boissardi antiqq. T. III. 128.

Moguntiae in aedibus Cancellarii Philippi Wolffii a Rosenbach.

3

I. O. M. IVN. REG.
AVLVS. MV....
CATRALIS. B. F.
LEG. LEG. XXI..
ALEXANDRI..
V. S. L. L. M. XI. K..
ALBINO. ET. M..
XIMO. COS

A Campio Freherus.

Wiesbadii, ad vetera moenia fragm.

5

I. O. M. ET
IVNONI. REG
IN. HONOREM
....

Grutero Vivianus. Iste lapis inversus muro est insertus. Gud.

Albae Juliae.

2

I. O. M
ET. IVNONI
REGINAE
TI. CL. ANICETVS. AVG
COLONIAR
TEMPLVM
VETVSTATE
CONLAPSVM
A. SOLO
RESTITVIT

Ursin. schedae, hunc versum in duos distingunt.

Ex Lazio, Clusio, Ursino, & Zamosio.

Gundelsteinii infra Wimphiam, in dextra Nicri ripa ½ miliari.

4

I. O. M
ET. IVNO
NI. REGI
NAE. C. FA
BIVS. GERMA
NVS. EB. COS
PRO. SE ET. SVIS
V. S. L. L. M

Ex Clusii schedis Gruterus, qui ad oram ex Melissi schedis sic postea emendavit.

Wormatiae in aula Episcopali.

6

I. O. M
ET. IVNO
REGINAE
VICTORINA
PRIMITIVA
POSVIT

Grutero Pithopoeus qui vidit.

1 *Brettæ Transsilvan. qui vicus ad amnem Sargetiam, in ædibus Ostrohmis.*

I. O. M
ET. FORTVNAE. SECVNDAE
CAES. M. ANTONINI. IMP
M. LICINIVS. COR. II. VIR
COL. DAC. SARMIZ. ET. FLA
MEN. DIALIS. SIGNVM. IO
VIS. EX. VETVSTATE. RE
STITVIT

E Zamoſio.

2 *Divione, in vetusto lapide in colossi modum.*

I. O. M. ET
FORTVNAE. REDVCI
PRO. SALVTE. ITV. ET
REDITV. II. TIB
VETERIS
N
CARANTILIVS. SERV
ACTOR. EX. VOTO
POSVIT
V. S. L. M

Spon. Miſcel. p. 113.


Ex Ioh. Richardo, qui vidit.

3 *Romæ, in Aventino, in vinea Hannibalis Zanesii, ara bis sic inscripta, ante & retro, Ursino teste. Gud.*

I. O. M. ET
GENIO. P. R. ET. VENALIC
L. L. RVBRI. ANTIOCHVS
ET. HYMNVS. ET. CC
LAPPI. MVTILVS. ET
RVFVS
VOTVM. SOLVERVNT. L. M
ſic ſched. Vrſini.
L. VERGINIO. RVFO
C. MEMMIO. REGVLO
CoS

Ex Ioh. Richardo. In Auctario p. ccɔ vi. 5 eadem habetur correctior.

4 *Paterniaci, vulgo* Paierne *in Helvetia ad Pontem.*



Grutero Freherus & Commelinus.

5 *Romæ, in via publica, in ara alta pedes V. iisdem literis bis in fronte ac retro inscripta. Pigh.*

ſched. Urſin.


I. O. M. ET. GENIO
VENALIC
ſic
PACILIVS. CERDO
VOTVM. SOLVIT
*NERONE. CAESARE
AVG. IIII
COSSO. LENTVLO. COSSI. F. COS

P. ACILIVS ſched. Urſ. & Pigh.

* deletum erat in Pighiano NERONE.

Vidit Lipſius.

6 *Ad Rhenum, circa Coloniam Agrippinam.*



Arn. Mercator Grutero.


7 *Ad Rhenum, ibidem.*

IN. H. D. D. I. O. M
ET. GENIO. LOCI
M. INGENVIVS. IN
GENVINVS. B-F. COS
PRO. SE. ET. SVIS. V. S
L. M. P. KAL. AVG. IMP
D. N. GORDIANO
AVG. ET. AVIOLA. C

Arnold. Mercator Grutero.

Clivis in ædibus Io. Blessii, è ruinis castri antiqui Qualburgensis.


1



A Lamb. Vander-Burchio Lipsius.

Ad Rhenum prope Coloniam.

2



Ex schedis Arnoldi Mercatoris Gruterus.

Dottendorfi prope Bonnam fragm.

3 I. O. M. . . . .
GENIO. L . . . . . .
C. IVCVN . . . .
SIMILIS. M . . . . . .
LEG. XXX . . . . . .
B-F. COS . . . . . .
AMERTINO. ET. RV. .

Campius Frehero.

Neapoli in domo quondam Ioan. Pontani, prope Sanctam Mariam majorem: in basi, litera pulchra.

4 Collat. cum mss. Pigh. Grut.

Q. VOLVSIO. SATVRN.
P. CORNELIO. SCIP. COS.
AVGVSTALES
QVI * CLAVDIO
CAESARI. AVGVST. ET
* AVGVSTAE
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART
C. TANTILIVS. CC. L. HYLA
CN. POLLIVS. CN. L. VICTOR
C. IVLIVS. C. L. GLAPHYR.
CVRATORIBVS

* NERONI Capac.

* AGRIPPINAE. Idem. Sic & Petrus Lasena de antiquo Gymnasio Neapolitano. pag 44 supplet.

Pighius vidit & exscripsit, & Capacius lib. 1. Hist. Neap. cap. 21.

Romæ in templo Sanctorum Quadraginta martyrum trans Tyberim, in basi marm. grandi. Nunc in palatio Princ. Iustiniani prope Pantheon.

5 Collat. cum mss. Pigh.

I. O. M. H. AVG
SACR
GENIO. FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERENTIA. NICE
CVM. TERENTIO. DAMARI
sic
ONE. FILIO. SACERDOTI. ET
TERENTIO. DAMARIONE. IVN
ET. FONTEIO. ONESIMO. FILIO
SACRORVM. SIGNVM. ET. BASIM
VOTO. SVSCEPTO. DE. SVO. POSVIT
LVSTRO. EIVSDEM. DAMARIO
NIS

Smetius vid. xvii. 13. & Pigh.


Poetovione in ædib. Georg. Perger.

6 I. O. M
ET GENIO. IMP
AVG
P. F. VATIONIVS
: FINVS. PROC
P. P. S
V. S. L. M

Ex Apiano.

In Gallia, in arce Sancti Privati, dimidio miliari supra pontem du Gard, *sacellum est subterraneum olim Iovi dicatum, vt indicant columnæ sustinentes fornicem, sub qua statua Iovis columnæ insidebat, cujus fragmentum superest cum hac inscriptione.*

1



* CESTIO. F. Grasser. de ant. Nemauſ.

Clusius excepit.

2 *

I. O. M

ET. LARIBVS. PVT. CIV
C. AR. FLAVIANVS. AED. CVR
CVM. BASI. ET. HYPOBASI
D. D.
DEDICATVM
L. ARVNTIO. ET
C. CLAVD. MARCELLO
CoSS

* Grutero Boissardus qui ex Julii Rosei Canonici S. Mariæ Transtiberinæ exemplari describ.

Alba Julia.

3

I. O. M.
ET. DIS. PENATIBVS
SCAVRIANVS

Gruterus è schedis Siglerі.

Celeia in Burgo.


4

I. O. M. Ē.
SALVT. CELEAN
AVG
P. AELIVS. VERINVS
VE. COS. PRO. SE. ET
SVIS.

Ex Apiano, at longe aliter Boissard.

Mediolani translatum è ruinis Castri Insubrum, teste Alciato, qui aram fuisse notat.

5



* Non exstant hæ ultimæ literæ in Alciati schedis.

† Hæ literæ conspiciuntur in pede imo aræ.

Ex Bonavent. Castillioneo.

6 *Romæ, in ponte Senatorio, nunc S. Mariæ.*

Hanc aliter contexit ex Marconovo Smondus.

NVMINI. DEORVM. AVG. IOVI. OPT. MAX
AEDEM. VOTO. SVSCEPTO. Q. LEPIDVS. M. F
M. CVRIVS. M. F. COS. III. S. P. Q. R

* non habet Boiss.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. *F. D. NERVAE
*NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. II. COS. II. *QVOD. VNVS. OMNIVM. PRINCI
PVM. ET. SOLVS. REMITTENDO. SESTERTIVM
*NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. *Ñ.
DEBITVM. *FISCI. NON. PRAESENTES. MODO. SED. ET
*POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC. LIBERALITATE
SECVROS. IVLIA. AVG. MATER. AVGG. ET
CASTRORVM. MATRONIS. RESTITVIT
SABINA. AVGVSTA
MATRONIS


DIVVS. AVG. PONT. MAX. EX. S. C
REFECIT

* NEPOTI Boiss.
* QVOVIS Boiss.
* NAVES Boiss.
* ET IN Boiss.
* FISCI PTES EIVS SVAQ. ET
* POSTEROS SVOS RESTITVIT Boiss.

E Mazochio, Marliano & Boissardi Tom. III. p. 113. antiqq. Gruterus in notis credit tres inscriptiones fuisse diversas, sed quia tres testes, forsan oculati, ita hanc exhibeant, eos mendacii arguere noluit

In area Sancti Apollinaris prope Agonem Romæ, anno 1547. effossa fuit hæc basis per medium fissa. Nunc extat in angulo viæ Pontificum ad locum vulgo a Ripetta nova, in una Cantonata.

1



Vidit & descripsit Smetius. XVII.9. Vide Boiss. T. IV. 141. qui aliter versus distinguit.

Ibidem effossa fuit & hæc dimidiata basis cum larvis tragicis marmoreis quinque.

2


Collat. cum mss. Pigh.

P. Quintilius. S
** Pontifex*
Ludos votivos pr
**Imp. Cæsaris. div*
Iovi optimo m.
**Cum Ti. Claudio Ne*
Ex. S

* Neque Smetius, neque Boissardus agnoscit.

* IMP. CLAVDIO. TI F. NERONE. Boiss.

* Cum non habet Boiss. & Ligor.




* TI. F. Boiss.

Descripsit Smetius ibid. Vide Boiss. T. VI. 28.

Clausenburgi Transilv.

3



E Lazio.

Viennæ Austriæ.

4

I. O. M
PRO. SALVTE. IMP. L
SEPTIMII. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARA
BICI. ADIABEN. PARTHI
CI. MAXIMI. ET. IMP. M
AVRELII. ANTONINI
AVG. F. L. QVIRINALIS
MAXIMVS. TRIB. MILI
TVM. LEG. X. GEM
P. F. V. S. L. L. M

Inf. p XXII. 7. eadem nisi quod hic deest SERAPIDI Gi.

Ex Lazio. Vide corrigenda Gruteri.

Romæ in Parione, in domo Francisci Lischæ: in ara prægrandi.

Collat. cum mss. Pigh.

5

I. O. M. D
PRO. SALVTE. AVGG. N. N
L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. ET
†AVRELI. ANTONINI. PII
FELICIS. AVG. ET
IVLIAE. AVG. ET. S. P. Q. R
*SEMNVS. AVGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORVM. STATIONIS
MARMORVM. ARAM. POSVIT

† M. addit Boiss. T. V. 51.

Prius erasa, sed postea restituta.

* SENNIVS mss. Pigh.

Eadem inscriptio, lateri dextro ejusdem aræ incisa est, rudiori & minus perfecta litera, nec uspiam rasa.

Descripsit Smetius. XVII. 12.

Caratiæ agri Lucensis, in Scapprino, ubi Scarabantiæ ruinæ. Lazius.

1

I. O. M.
PRO. SALVTE. IMPP. L. SEPTIMI
SEVERI. ET. M. AVRELII. ANTONINI
AVGG. *FR. CLARISS. ET. IVL. AVG
MAT. CAES. SVB. CVRA. FL. MV
TIANI. *SER. M. FIRMIDIVS. *SPECLA
TVS. FR. LEG. II. ITAL. P. F. OPTIO
CONSECRAVIT. ITEM. DEDICAVIT
III. IDVS. APR. SEVERO. ET
VICTOR. COSS.

* Sine dubio abundant. Grut.

* S.FR. Laz.
* IVSTVS. Id.

Ex Apiano.

Romæ in Vinea Cardinalis Carpensis.


Sedet supernè Jupiter inter boves duos, usque ad pudenda nudus, sed superiori parte mutilus.

Boiss. T. IV. 94.

Subsequitur inscriptio.

2

*
I. Ō. M. SACR
VOTO. SVSCEPT. PRO. SALVTĒ



duo versus studio erasi.

AVG. GERMANICI
PONTIFICIS. MAXIMI. TR. POT
D. VETVRIVS. ANTIGONVS
D. VETVRIVS. SP. F. PHILO
D. VETVRIVS. ALBANVS
PATER. CVM. FILIS. POSVIT
*

Fuit. IMPERATORIS DOMITIANI CAES Alexander de Nigris apud Malvas. Marmor. Felsin. p. 136. ita supplet. IMP. C. CAESARIS DIVI AVGVSTI. PRONEPOTIS.

* LIIS Boiss.

Desc. Smetius XVII. II. Infra p. 86.5. eadem inscriptio mutato tantum numine.

Ferrariæ in æneâ tabella, ab ara & signo Jovis detracta.

3

PRO. SALVTE
IMP. CAESARIS
M. AVRELII. SEVE
RI. ALEXANDRI
PII. FELICIS. AVG.
IOVI. OPTIMO. MAXIMO

E Pighii Hercule.

In Anglia apud Brigantes, inscriptio arcus.

4

I. O. M.
OB. HONOREM..... VXORIS
GORDIANI..........

Ex Cambdeno.

Ravennæ in ædibus Rasponiorum.

5

PRO. SAL. AVGG
EX. IVSS
I. O. M. D. CON
M. CAES. CHRESIM
AVG. RAVEN
CVM
SACCIDIA. FELICITA
CONIVGE. ET
CAESIA. CHRESIME
FILIA

Ex Fonteio.

Albæ Juliæ.

6

I. O. M
PRO. S. IMPERA
TORIS
COLLEG. AVRA
RIORVM. L
CALPVRNIVS
D. D

Ex Lazio & schedis Clusii.

Inter rudera oppidi veteris Sarmiz.

7

I. O. M. D
PRO. SALVTE. M
BASSI. AQVILAE. ET
GAI. GAIANI
EX. COLL. FABR
DEC. IIII
V. S. L. M

Ex Sigleti schedis Gruterus.

Lapis ex Saluvar. Budam translatus, in ædibus Rmi. Dobocensis.

8

I. O. M.
PRO. SALVTE
CL. POMPEIVS
FAVSTVS. DEC
COL. AQ. AEDIL
II VIRAL. PRAEF
COLL. FABR. ITEM
QVE. PATRONVS
*DVXIT. COLL. SS
INAMBVLATI
V. KAL. AVG

* DVX. IT. COLL. ut IT. notet item Scalig. in addendis.

Gruterus è Clusii schedis.

Pœtoviæ, juxta ecclesiam parochialem in cœmiterio.

9

I. O. M
PRO. SALVTE. ET. INCOLVMITATE
P. VAL. TIB. MARCIANI. IVNIOR
P. VAL. MARCIANVS. MIL. DVPL.
LEG. X. GEM. ANTONINIANAE. ADIVT
PRAE̅R. ET
GRECINIA. P. FIL. PRISCILLA. PARENT
V. S

Ex Apiano, Lazio & Boissardo.

Metis in domo Joh. Aubrii aurifabri in basi columnæ quadrangulari.

10

In prima fronte.

I. O. M
IN. HONOR
DOMVS. DIVI
NAE. VICVS. HO
NORIS. PVBLICE
POSVER. HI. QVI
INFRA. SCRIBTI. SVNT
CVRA. FORVM. T. IVL
ADIVTORIS. M. †PAVLI
MARTIALIS. P. DONNA
XI

†PAVLLI Ortel.

† MELVSCINTVS Ortel.

In secunda.

Q. GIAMIVS
BELLVS. ET
COMMVNIS
GIAMI. FILI
ELVORIX
VARICILLI. F
†MELVS. CINTVS
M. I. F.

1 TRECTVS eraso A Ort.
2 PRETIVM Ortel.
3 ERENTINVS erasa litera T Ort.

In tertia.

M. MACIRIVS
1ATRECTVS. MANI
2PRECIVM. DONAVI
3TERENTINVS. ET
PEREGRINVS. IL
LANVISSAE. FILI
GAIVS. GERM. CO
ROBVS. SEX. ELV
IVS. CLEMENS

In quarta.

P. ATTIVS
*ANTICVS
L. VETTIVS
*DERCOIE
DVS. M. VET
TIVS. MER
CATOR

* ANTIGVS Ortel.

* DERCOREDVS. Brow. Annal. Trev. Tom. I. L.

Grutero Boissardus, habetque etiam in Itinerario suo Ortelius. p. 50. qui versus aliter disponit.

In Vinea Carpensi.

E. Boissardi Antiqq T. IV. p. 94.



IOM SACR

VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE

AVG GERMANICI
PONT. MAXIMI TRIB. POT.

D. VETVRIVS ANTIGONVS
D VETVRIVS SP. F. PHILO
D VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIIS POSVIT

1

IOVI. O. M. SACR
COLLEG. AVGVR. D. D
CVR
T. IVNIVS. SELEV
CVS CVM VALER. FIL
IMMVN. PERPET

Ex Onufrio.

2 *Sirmioni, super lacum mss. Pigh: Veronæ, apud antiquam Sirmiam Cod. Rhed.*

IOVI
sic Pigh.
L. † AESIVS
VRBAN † AESTIVS Apian.
V. S. L. M.

Ex Sarayna.

3 *Genevæ fragm.*

IOVI
ASSIGN
M. F
N

Freherus Grutero.

4 *Wormatiæ in aula Episcopali, in ara*

C. * BABVRIVS
FESTVS. † POMAP..
. RTEIO. ‡ TRIB. LE
. . VII. * G . . . .
. . PRAEF . . . .
ALAE. † SCVBV . . .
. . . LORVM . . .
. . . IOVI . . . . . .

* BATVRIVS. † DOM. AR. ‡ TRIB. LEG. * G. F. Pigh † SVBVLORVM Pigh. mss.

Gruterus è schedis Lud. Pithopoei qui vidit Barth. Adversar LII, 1. vide, ubi hæc inscriptio paulo aliter legitur.

5 *In parvo saxo in Conventu Novempopulonæ.*

DEO
IOVI
CLAN
OSA. CI
VIS. TR
EVERA
V. S. L. M

A Scaligero.

6 *Carpesæ Hispan. fragm.*

IOVI
P. HERENNI
ABASCANTVS
HERENNIA. RVS
HERENNIA. LAVD

E Schotti schedis.

7 *Dianii Hispan.*

M LVC. IOVI
VOT. SOL.
IDEMQVE. TEMPL
D. D.

E Schotti schedis.

8 *Ossati, in agro Brixiano.*

IOVI
P. PAPIRIVS
AEVTROPVS
V. S. L. M

Ex Helia Capriolo historia Brixiæ

9 *In columna ex Hungaria Viennam in ædes Lazii transIat.*

I. D
VOTVM. SOLVIT
CA. RODIVS
PR. SALVTE
SVA. I. C

E Lazio.

10 *Morasentii Insubrum.*

VETERANI
LEGI . . . . .
IOVI
V. S. S. L. M

Ex Castilliones.

11 *Romæ in thermis Titiani inventum marmor, cui insculpta flamma; subscriptumque.*

IOVI
IMP. VESPASIANVS
AVG.
PER. COLLEGIVM PONTIFICVM
FECIT.

Ex Albertino & Marliano.

12 *Veronæ in Ecclesia vallis Gottharia.*

IOVI
O. M

Ex Sarayna.

13 *In agro Brixiano inter Salodium & Maternum.*

M. MARCELLVS. Q. F
AEMILIVS. P. F.
SVLPICIVS. I. O. M. DD
SERTORIVS. M. F. I-I-I-I. AVG
FL. DIVI. E. S. ET. LIB. M. E

Gruterus è schedis Verderii, Domuus Vallis Privatæ.

14 *Prope Mediolanum in castro Albiciato, in arula.*

I. O. M
MONTVANATES
VICANI
LOVANIES
V. S. L. M

Alc. sched. aliter versus disponunt.

E Pighio & Merula. Smet. 18. ep. 17.

15 *Lugduni, ad murum templi vetustissimi divi Petri.*

IOVI. O. M.
Q. ADGINNIVS. VRBICI
FIL. MARTINVS. SEQ.
SACERDOS. ROMAE. ET. AVG
AD. ARAM. AD. CONFLVENTES
ARARIS. ET. RHODANI
FLAMEN. II. VIR. IN. CIVITATE
SEQVANORVM.

IOVIS OPTIMI MAXIMI. * ADCINNIVS. Choul.

Augustinus Pierfonius describebat. nec aliter Sponius in antiquit. Lugdun. p. 134 Et Duchene in antiquit. Urb. Gallic. lib. VI. p. 634.

Super Exarramam fluvium, duobus millibus infra Terranum oppidum Lusitaniæ.

16

IOVI. O. M
FLAVIA. L. F. RVFINA
EMERITENSIS. FLA
MINICA. PROVINC
LVSITANIÆ. ITEM. COL
EMERITENSIS. PERPET
ET. MVNICIPI. SALACIEN
D D

Ex uno latere est arbor incognita, ex altero aquila expansis alis quasi subvolatura, in unguibus trisulcum fulmen habet.

E Resendo antiqq. Lusitaniæ.

* Reines. post varias conjecturas tandem legit CONS & explicat de Tib. Fabii Titiani qui A. Chr. 350. & 351 Praefectus Urbi fuit, primo Consulatu. Nam Consulibus infra scriptis Fabius nondum fuit secundum Consul.
† Iterum judex sacrarum cognitionum ccccxxi 3.


In dextro latere.

D. PRIDIE. KAL. IVNIAS
ARBITRONI. ET. LOLLIANO
COS

Ex Ursini schedis Gutensienus Grutero. A Urb 1108. Chr. 355. Itaque haec inscriptio male collocata a Grutero referri debet ad seculum Constantini.

7 *Inscriptio tabulae iliius marmoreae cujus meminit Leonardus Aretinus epistola tertia libri quarti, in turri parochialis ecclesiae, juxta thermas Marchionis Badensis in Germania.*

ALEXANDRI.



Ex Petro Apiano.

2 *Hispali in domo D Joan. de Savedra F Comitis Castellani.*

IMP. CAESARI
L. SEPTIMI SEVERI
PII PERTINACIS AVG.
ARABICI ADIABENICI
PARTHICI MAXIMI FILIO
DIVI M. ANTONINI PII
GERMANICI SARMATICI NEPOTI
DIVI HADRIANI ABNEPOTI
DIVI ANTONINI PRONEPOTI
DIVI TRAIANI PARTHICI ET
DIVI NERVAE ADNEPOTI
M. AVRELIO ANTONINO
AVG. TRIB. POT. VIII
COS. II PROCOS
.....ANVS LYCOMEDES
PROCVRATOR AVGVSTORVM
POSVIT DEDICAVITQVE

Ex Morali.

3 *Erutum fragmentum istud Pali, quae est villa Alex. Farnesii Card. ad mare, non longe a Caere oppido.*

Contuli cum mss. Urs. sched. Grut.

. . . ‡. . . . .
IMP. II. COS. III. PROCOS
IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI PII
PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB
PARTH. MAX. BRIT. MAX. FORTISSIMI
FELICISSIMI. PONT. MAX. P. P. FILIO
DIVI. M. ANTONINI. PII. GERM. SARM
† NEP. DIVI. ANTONINI. PII PRON
DIVI. HADRIANI. ABN. DIVI. TRAIANI
PARTH. ET DIVI. NERVAE. ADNEPOT
OB. INSIGNES. VIRTVTES. EIVS
DECVR. COLON. * ALSIENSIS. D. D

E Fulv. Ursini notis ad Ciceronem.
‡ M. Urs. † NEPOT. ead. * ALSIENSES. Urs. sched.


5  OPELII.

M. OPELI. ANTONINI
DIADVMENIANI. CAES
PRINCIPIS. IVVENTVTIS
C. PERPENNIANVS V. C.
PRAEF. VRB. D. D.

Ex Panvinii Fastis.

6 *In oppido Guadix Hispan. Tarracon.*

MAMMEAE



Ex Morali & Mariana. * i. e. Matri.

1 *Romae in Palatio novo Farnesiorum, ad campum Florae: in basi quadrata, e thermis Antoninianis eo translata.*

GOR-
DIANI.

P. CAESARI
ONIO. GORDIANO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO
PONTIF. MAX. TRIB. POT. II
COS. PROCOS. P. P.

NVMISIVS. QVINTIANVS. V. P
AB. EPISTVLIS. LATINIS
DEVOTVS. NVMINI
MAIESTATIQVE. EIVS

Vid. Smetius. Boiss. T. III. 110.

2 *In aula Principis Transilvaniae.*

IMP. CAES
M. ANTONIO. GOR
DIANO. PIO. FELICI
AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POT. II. COS. P. P
COLONIA. VLPIA
TRAI. AVG. DACIC
SARMIZ. *METROP
DICATISSIMA. NV
MINI. MAIESTATI
QVE. EIVS

Ex Zamosio & Siglerii Bongarsii Clusiique schedis
* V. ccccLXXII. 2.

3 ★

IMP. CAESARI
M. ANTONIO
GORDIANO. PIO
FEL. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. III
COS. P. P. OPTIMO
FORTISSIMOQ. PRINCIPI
*COL. VEN. LENIA. AVG
ALEXANDRIA. ANT
APPELLINATIVM

Ex Panvinio.
* i. e. Colonia Veneria Apolloniatarum. Gud.

4 *Vicetiae in foro frumentario.*

IMP. CAES
*MARCO. ANTONIO
GORDIANO. PIO
FEL. AVG. P. P. COS. II
PROCOS. TRIB
POTEST. V. PONT
MAXIMO
RESPVBLICA
EX. LIBERALITATE
†MATTIDIARVM
D. D

Ex Velsero.
* In schedis aliis *Marco* non legitur. † Reinesius perperam haec intelligit de puellis Mammaeanis alimentariis c. 7. p MDXXXIV. Nam nihil huc pertinet. Gud.

5 *Lectorii in Gallia.*

FVRIAE
SABINAE

FVRIAE. SABINAE. TRANQVILLINAE
SANCTISSIMAE. AVG
CONIVGI. DOMINI. N
M. *ANTONII. GORDIANI
PII. FELICIS. INVICTI. AVGVSTI
DECVRIALES. AEDILIVM. PLEBIS
CERIALIVM. DEVOTI. NVMINI
MAIESTATIQVE. EORVM

Observatum ac descriptum ab Augustino Piersonio. citat Choul p. 17 Eadem fere est Romae inventa MLXXXV. 11.
* ANTONIN. Choul. male.

6 *Geminum huic vidit Joh. Matalius Metellus Romae in aede S. Mariae in monte Aventino, in pavimento; his versibus.*

FVRIAE. SABINAE. TRANQVILLINAE. SANCTISS. AVGVSTAE
CONIVGI D. N. M. ANTONI. GORDIANI. PII FEL. INVICTI. AVGVSTI

DECVRIALES. AEDIL. PLEB. ET. CERIAL. PLEB
DEVOTI. NVMINI MAIESTATIQVE
EIVS

Gutenstenius e schedis Metelli.

7 *Granatae in Hispan. Baetica.*

*FLAVIAE. VALERIAE. TRANQVILLINAE. AVGV
STAE. CONIVG. IMP. CAES. GORDI. PII. FELI
AVG. ORDO. MILIT. FLOPIANI (sic). ILLIBERITANI
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. SVMPTV
PVBLICO. POSVIT

Gruterus e schedis Antonii Augustini.
* Haec conjunx fuit senioris Gordiani, Procos. in Africa, vel ejus filii Gordiani. Uterque creati sunt a militibus, & probati a Senatu. Non ergo eadem quae Furia Sabina Tranquillina, ut visum Calig. ind. c. 11. Haec enim M. Antonii Gordiani III. hoc nomine conjux fuit. Gud.

8 *Pisauri in basi inserta columnae quae in Palatio Principis.*

Contuli cum Urs. sched. *Grut.

PHILIPPI.

IMP. CAES
M. IVLIO. PHILIPPO
PIO. FEL. AVG
PONT. MAX. †TRI
COS. LT. COS
DLSIGN. P. P
PRO COS
PISAVR. PVBL

Gruterus ex Ursini schedis.
† FRP. Sculteti schedae, ut debeat esse TR. P

9 *In Cumberland in Pyramide octogona.*

OB. HONOREM. PHILIPPI. IM
PERATORIS. NOBILISS. SEM
PER. AVGVSTI. ET PHILIPPI
CAESARIS. NOBILISSIMI

Ex Camdeno.


10 *Narbone.*

M. IVLIO. PHILIPPO

NOBILISSIMO. CAESA. PRINCIPI
IVVENTVTIS. *SEP. BAETERR
†VIT
APIRIA. CAESIVS. FRATER
STIPENDIORVM. XXIIII


A Scaligero. * i. e. Septimanorum Baeterrensium. † I. CIVIT.

1 *Toleti.*



Ex Morali.

2 *Olisipone in turri.*



E Schotti schedis
* H. Bos. legit de Pontif. imper. 2. §. 17. qui ad Filium hanc inscr. refert aliter ac Scaliger

3 *In Columna jacente prope Thoresby, in Cumbria Angliae.*

* Schedae Camdeni legunt. IMP. CAES M. IVL. PHILIPPO &c.

IMP. CAES
PHILIPPO
PIO. FELI
CI
AVG
ET. ‡M. IMP. PHI
LIPPO. NOBILIS
SIMO. †TR. P. COS
. . . .

‡ In sched. Camd non habetur M.

† CAES ad dunt sched. Cam.

Grutero Camdenus.

4 *Veronae juxta portam Bursaream in domo Cathanaeorum.*

ANNO. CHRISTI. CCLIII
IMP. DIVVS. PHILIPPVS. SENIOR
VERONÆ
ET
ROMAE
IVNIOR. A. SATELLITIBVS. INTER
FICIVNTVR


E Baronii Annalibus. Haec inscriptio spuria est vid. Scalig. in not.

DECII TRAIANI. 5 *Tarracone in Hisp. citer. Eadem est, quae legitur* CCXLVI. 3. *ubi vide notas.*

PIO. ATQVE. INCLITO. DN. TRAIANO
NOBILISSIMO. AC. FORTISSIMO. ET
FELICISSIMO. CAESARI
SEPTIMIVS. ACYNDINVS. V. C
AGENS. PER. HISPANIAS. V. C. ET
VICE SACRA COGNOSCENS. NVMINI
MAIESTATIQVE. EIVS. SEMPER
DICATISSIMVS

Ex Onufrio & Clusianis.

6 *Feltriae.*



Gruterus ex Ursini schedis.

AEMILIANI. 7 ✱


D. N. C. *AEMILIANO. FOR
TISSIMO. PRINCIPI
HERCVLI. CONSERVATORI
L. VIRIVS. PAVLLINVS. V. C
COMES. DOMESTICORVM
PRAEF. VRB. D. N. M
Q. EIVS

Ex Panvinio.

* Aemilianus Alexander Panvin sub A. U. 1014. in Aegypto Augustus vocatus, mox trucidatus. Fulvius Aemylianus Praefectus Aegypti Imp. Val. & Gal. Euseb. vii. Hist. Eccles. c. 10.


MESS. DECII.

1 *Valentiae in Ecclesia principe, sacello D. Benedicti.*



Ex Onufrio & Schotti schedis.

2 *Valentiae Hispan. apud aedes urbis publicas.*



* GNEIAE. Bibran.


† SALVS. Bibran.

‡ Vid. de hac inscript. *Spanh. de us. & praest. numis.* dissert. VII. p. 632.

E schedis Schotti.

HOSTILIANI.

3 *Valentiae Hispan. in eodem Bened. sacello.*




Ex Onufrio & Schotti schedis.

* Ille est, quem Decius contra Gothos Urbe profectus imperium cupientissime vulgo cepisse scribit Sex. Aurel. Victor & modo Valens Licinianus, modo Julius Valeus dicitur. Gud.

4 *Ossonobae in Lusitan. in muro inter propugnaculum novum & alterum a Roderico Barreto extructum, in cippo.*

VALERIANI.



E Resendio.

GALLIENI

5 *Romae inscriptio arcus Gallieni, ad emissarium aquae Claudiae.*

GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI. CVIVS. INVICTA. VIRTVS. aSOLA. PIETATE. SVPERATA. EST. bET. SALONINAE. SANCTISSIMAE. AVGV.
cM. AVRELIVS. VICTOR. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EORVM

Exscripsit Smetius. Boiss. T. III. 121 & T. IV. 131.

a i. e. qui pius magis extitit quam bellicosus. Bold. l. 3. epigr. l. 344. b *Et Saloninae Sanctissimae Augu.* absunt a Boiss. c V. cccxIII. 9.

6 *Beneventi.*

MAGNO. ET
INVICTO
GALLIENO. AVG. XI
COS. VI
DESIGNATO. VII
PAG

E Panvinio & Verderii schedis.

1 ✶

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΛΙΚΙΝΙΟΝ
ΙΓΝΑΤΙΟΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ. ΕΥCΕΒΗ. ΕΥΤΥΧΗ
CΕΒΑCΤΟΝ

Ex Ursini notis ad Trebell. Pollionem.

3 *Cordubae.*

D. N. CORNELIAE. SALONINAE
AVG. CONIVGI. D. N. IMP. CAES
P. LICINI. GALLIENI. PII. FEL
ET. INVICTI. AVG. DACICI
MAXIMI. GERMANICI. MAX
IMI. TRIB. POTEST. IIII
COS. III. IMP. III. P. P. *PROC
PROVINCIAE. BAETICAE. DEVO
TI. NVMINI. MAIESTATIQ
EIVS. CORD. . . . .

Gruterus ex schedis Antonii Augustini.

* Numquid vero Gallienus unius tantum provinciae Proconsul fuit? Id cum absurdum esse putet, Gutherius fabrile mendum hic subesse, veram lectionem e sequ. inscriptione 4. hujus pag. constituendam arguit lib. 1. de offic. dom. Aug. c. 41.

5 *Nepete in basi. Ursini schedae ponunt Romae, ad S. Blasii. Contuli cum Urs. ms. qui affirmat litteras fuisse Barbaras. Grut.* SALONINI.

P. LICINIO. SALONIN. VALE
RIANO. NOB. CAES. PRIN. IVVEN
VALERIANI. AVG. NEPOTI
GALLIENI. ET. SALONINAE. AVG
FILIO
MATER. PIENTISSIMA

Ex Onufrio, & Ursinianis.

2 *Augustae Taurinorum, in basi columnae.* SALONINAE.

CORNELIAE
SALONINAE. AVG
CONIVGI
IMP. CAES. P. LICIN
GALLIENI P. F
INVICTI. AVG
ORDO
SPLENDIDISSIMVS
*SEGVNORVM

Grutero Verderius, qui exscripsit.
* SEGVSIANORVM. Ligor.

4 *Ibidem.*

DN. CORNELIAE. SALONINAE
AVG. CONIVGI. DN
IMP. CAES. P. *DECII. GALLIENI
PII. FELIC. INVICTI. AVG
DACICI. MAXIMI. GERMANICI
MAXIMI. TRIB. POTEST. IIII
COS. III. IMP. P. P. PROCOS
PROVINCIA. BAETICA
DEVOTA. NVMINI
MAIESTATIQ. EORVM

Gruterus ex ejusdem schedis Ligorii.
* Rem. leg. LICINI.

6 *Romae in statuae ejusdem basi, in pede montis Romulei hoc est, ante sacram viam.*

SALONINO. GALLIENO
*MINORI

Ex Panvinio. Est ap. Trebell. Pollion.
* IVNIORI Salmas.

7 ✶

IMP. Q. IVLIO. FILIO. GALLIENI. AVG. ET. SALONINAE. AVG	IVLIAE. NOBILISS PVELLAE. FIL. GAL LIENI. AVG. ET. SALON AVG

ORDO. POPVLVS. QVE. SVESSANVS. PARENTIBVS
EORVM. PVBLICE. PRIVATIM. QVE. DEVOTI

Ex Panvinio & Ursino.

8 *Ad Benacum prope Tusculanum, in tabula ad parietem templi majoris.*

AVR. CLAVDII

IMP. CAES
M. AVR. *CLAVDIO
P. F. INVICTO
AVGVSTO
BENACENSES


Onufrius a Maurocenus videre.
* Flavium Claudium vocari in nummis notat Panvin. & sic in inscriptione sequente 9.

9 ✶

IMP. CAES. FL. CLAVDIO. PIO. FELICI
INVICTO. AVG. PONT. MAX. TRIB
POT. II. COS II. PP. PRO. COS


Ex Fastis Panvinii.

10 *Setabi Hispan. apud portam S. Teclae e regione piscinae publicae.*




E schedis Schotti.

1 *Sagunti in muro veteri.*



Ex Apiano & Schotti schedis.


2 *Sagunti in arce juxta turrim armorum.*



F. schedis Schotti, qui vidit.

3 *Pisauri in Piceno, in palatio Principis, in basi statuae. Contuli cum mſ. Urſ. & Pighii ſched. Grut. ſimilis eſt ſupra* XLV. 2.

AVRELIANI



A Waſtelio [illegible] metius.

† Sic Urſ. ſch. Fuit pater ius. CLXI .. 7 Gud.

* Interpretatur Pigh. *V[iro] E[x]cellentiſſimo ducenario curatore reip. Piſaurenſium & Faneſtrium publice poſuit merito.*

1 mſ. Pighii AVRELIAN

2 RES. PVB. PIS. Urſ. ſch.

3 Non habet illud NO. Urſ. ſcheda. ſed habet Pighii.

4 P. P. mſ. Pighii. Sed Urſ. ſched. ut editur.

4 *Romae nuper inventum.*

IMP. CAES. L. DOMITIO
AVRELIANO. PIO. FELICI
INVICTO. AVG. PONTIF. MAXIMO
GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX
TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III
P. P. PRO. CONS. RESTITVTORI. ORBIS
INVICTISSIMO. ET. VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI
FVRIVS. ORFITVS. V. C. PRAEF. VRB
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS
DEDIC. KAL. FEBR
AVRELIANO. AVG. III
ET. MARCELLINO. COS

Ex Panvinio

5 *Brixiae in foro. Rubei ſchedae & Schrad monum. Ital. fol. 356. eſt in tabula duorum verſuum.*

M A G N O
A V G V S T O
PRINCIPI. MAX
IMP. FORTISSIMO
CONSERVATORI. ORBIS
*L. DOMITIO. AVRELIANO
P. F. PONT. MAX. TRIB. POT. V
P. P. COS. III. PRO. COS. GOTH. MAX
PALMYR. MAX. GERM. MAX
ORDO. BRIXIANORVM

Ex Panvinio. * Valerium Aurelianum vocat Imp. Claudius in epiſtola apud Vopiſcum.

6 *Romae in S. Nicol. in carcere Tulliano.*

IMP. CAES. AVG. DOMITIO. PIO. FEL
INVICTO. RES. PVB. ASTIG. DEVOTA
NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS

F. Mazochio.


7 *Barcinone.*

IMP. Φ CAE
L. DOMITIO. AV
RELIANO. PIO. ET
INVICTO. AVG
ARABICO. MAX
GOTHICO. MAX
PARTHICO. MAX
TRIB. P. P. COS. III
PROC. OPT. PRINCI
PI. N. ORDO. BARC
NVMINI. MAIEST. Q. E

Ex Morali & Strada


1 *Inter Ulissiponem atque Emeritam in columna una.*

TACITI



E Resendio.

2 *Ibidem mille passus retro in alia columna.*



E Resendio.

3 *Granatae Hispan.*

IMP. CAES. M. AVR PROBI
PROBO
PIO. FELICI
INVICTO
AVG. NVMINI
MAIESTATIQVE
DEVOTVS
ORDO. ILLIBER. DE
DICATISSIMVS. D. P

Gruterus ex Ant. Augustini schedis.

CARI

4 *In Achaia ad S. Delphorum urbem, in templo Apollinis.*


ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ
ΜΑΡΚΟΝ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ. ΚΑΡΟΝ
ΕΥΣΕΒΗ ΕΥΤΥΧΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΙΕΡΑ ΔΕΛΦΩΝ ΠΟΛΙΣ
ΕΔΟΚΕΝ

Quod quidem Latine sic verti potest.

Imperatorem Caesarem,
Marcum Aurelium Carum,
pium felicem Augustum
sacra Delphorum civitas
dedit.

Ex Apiano.

5 *Ayvisae Hispan.*




Ex Morali & Schotti schedis.

6 *Ebusii Hispan.*

IMP. CAES. AVG. CARO. PIO. FEL
INVICTO. AVGVSTO. PONT. MAX. TR
POT. P. P. PROCOS
LICONIENSIS. ORDO. D. N. M. Q. E. FECER

Gruterus ex Ant. Augustini adversariis.

8 *Sagunti in via publica, columna marmorea.*



Ex Apiano & Schotti schedis.

7 *Tarracone in S. Teclae.*

FORTISSISSIMO. ET. CLEMEN
TISSIMO
IMP. CAES. M. AVR. CARO
INVICTO. AVG. P. M. TR. P. COS. II
P. P. PROCONSVLI
M. AVRELIVS. VALENTINIANVS
V. C.† P. P. HISP. CIT. LEG. AVGG.* PR
PR. D. N. M
EIVS

Ex Clusii, Verderiique ac Schotti schedis.

† i. e. *Praeses Provinciae.* * PR. PR. hoc loco Propraetorem significant, non, ut Lazius voluit, Praefectum Praetorio. Vid. inscript. 1. pag. sequ. PRO. PR. PROVINCIAE. HISPANIAE. CITERIOR. Vide & Guther. l. 2. de off. dom. Aug. c. 7. Gud.

CARINI
CARI
NVMERIANI


1 *Tarracone, in summo templo.*

VICTORIOSISSIMO	FORTISSIMO. ATQVE	VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENT	CLEMENTISSIMO	PRINCIPI IVVENTVT
M.AVRELIO.CARINO	IMP. CAES. M. AVRELIO	M. AVR. NVMERIANO
NOBILISS. CAESARI	CARO. INVICTO. AVG	NOBILISS. CAESARI
COS. PRO. COS	P.M.TR.POT.II.COS.II	PRO. COS
	P. P. PRO. COS	

M. AVRELIVS. VALENTINIANVS. V. C. LEG. AVGG. PRO. *PR. PROVINCIAE
HISPANIAE. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM


Ex Panvinio. * Vid. not. ad 7. praeced. pag.

2 *Tarracone ad D. Teclam, in basi altaris.*


VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENTVT
M. AVR. CARINO. NO
BILISSIMO. CAESARI
COS. PROCOS. M. AVR
VALENTINIANVS. *V. C
PRAESES. PROV. HISP. CIT
LEG.AVGG.PR.PR.D N.M.EIVS

Ex Apiano, & Schotti Verderiique schedis.
* *Vir Clarissimus.* Fallitur igitur Alciatus, cum lib. 3. dispunct. 4 Provinciarum Praesides clarissimos dictos fuisse negat.

3 *Tarracone, ad D. Annae.*


VICTORIORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENTVTIS
M. AVR. CARINO. NOBIL
CAES. CONS. PRO. COS
M. AVR. VALENTINIANVS
V. C. PRAE. PROVINC. HISP
CITE. LEG. AVGG. DEV
OTVS. NVM. MAIESQ. EIVS

E Verderii ac Schotti schedis.

4 *Sagunti.*

IMP. M. AVR. ⊘
CARINO
NOBILISSIMO
CAES. PIO. ⊘
FELICI. INVICTO
AVGVST
PONT. ⊘ MA
XIMO. TRIB
POT. ⊘ P. ⊘ P
⊘ COS. PROCOS

Ex Apiano, Strada, Morali.

5 *Extra Tarraconem Guissonae.*

M. AVR. NV
MERIANO
NOBIL. CAESAR
FIL ⊘ . . ⊘ NIMI . ⊘
AVR. . . . ARI ⊘ AVE
OR . . . . . . ESSONT

Grutero Schottus

6 *Romae extra portam Flumentanam, in vinea Francisci Montoni Galli, in magna baside.*


DIOCLETIANI

MAGNO. ET
INVICTO. IMP
CAES. M. AVR. VAL
DIOCLETIANO
PIO. FELICI. AVG
BASILIVS
DONATIANVS. V. E
RATIONALIS. D. N. M
Q. EIVS

In dextro latere stat hominis effigies, cum arcu, sagittam emittens. In sinistro latere stat Victoria alata, coronam & palmam praetendens.

Smetius vidit.

1 *Romae.*



E Fulvii ſchedis Gutenſtenius Grutero.
† Paratus vel Paratianus, ut Rogatianus, Domitianus. CCLXXVIII. 6. Gud.

2 *Fani Fortunae in Piceno, in columna rudi confractaque.*

IMPP. CAESS. ℘ VALER
IO. DIOCLETIANO. ET
AVRELIO. VALERIO
MAXIMIANO. PIISS. FE
LICIB. SEMPER. AVGG
ET. FLAVIO. VALERIO
CONSTANTIO. GALERI
O. VAL. MAXIMINO
. . . . *vetuſtate exeſa.*
. . . . ROM. CXCI

Deſcripſit Smetius.

3 *Romae in atrio aedium Tiberii Caevuli. Contuli ad Gutenſt. ſchedas. Grut.*

IMP. CAES. a G. VALERIO
DIOCLETIANO. PIO
FELICI. INVICTO. AVG
PONT. MAX. b BRITANNIC
MAX. GERM. MAX. TRIB
POTEST. II. COS. II. PP
PROCOS
c HONORATI. ET. d DECVRIONES
ET. NVMERVS. MILITVM
CALIGATORVM

E. Baronii Annalibus.
a C. Gutenſt. ſched. b BRITTANIC. Gut. c Honoratis & populo CCCXXX. 1 CCLXVIII. 1 CCCII. 2 iidem explicandus Tacitus lib. 1. Hiſt. 77. *Otho pontificatus auguratusque honoratis jam ſenibus cumulum dignitatis addidit.* vid. ibi Gronovium.
d DECVRION Gut.

4 *Patavii in aedib. Horatii Sorelli, ad S. Julianae.*

AETERNO IMPERATORI
NOSTRO. MAXIMO. O
PTIMOQVE. PRINCIPI
AVRELIO. VALERIO
DIOCLETIANO. PIO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO
PAETVS. * HONORATVS.....VIR
CORRECTOR. ITALIAE
NVMINI. EIVS. DICATISS

Ex Scardeonio & ſchedis Urſini.
* Ad Honoratum eſt l. un. C. ut quae deſunt advocatis partium lib. 11 A. Chriſti. 293.

1 *Romae in basi effossa in thermis Antonianis, undique collisa fractaque.*

FLORENT
ET . PIISSI
D . N. *VALE
MAXIM
SEMPER

C . *CEIONIV
V . C . PRAE
PRAEF . VRB
IVDIC . D . N

In una basi tres inscriptiones diversorum temporum anni Urbis 946. — 1046 — 1066 Gud.

* VALENTINIANO Rectissime rescitur ad Valentinianum Tum enim erat Cejonius Rufius Volusianus Praef. Urb. & Praef. Praet.

* CEIONIVS RVFIVS VOLVSianus de quo cccLXXXVII. 5. Vid. & XXVIII. 5. & CCLXXXV. 6.

In dextro latere.

MAXIM.. AVG
N . DIOCLETIANO . II. + COS
SVB . FELICE . PROC . AVG . N
THERM . ANTONIANARVM

* Maximiano. + I. III. A. U. 1040. Chr. 287.

A tergo ejusdem baseos.

Q. R. K. IAN
Q. [a]SOSSIO . FRVCTO . C
ISDEM . ET [b]BELLICO. MARCELLI
CVRA. AGENTE. [c]TVRELLIO. FELICISSIMO
OB. DEDICATIONEM. EIVS. DED. DECVRION
※. XXV. ET. AVGVSTALIBVS. SING. ※. XXV. ET
MVNICIBVS. ※. V

Sic in marm.

Vidit Smetius.


a Q. Sossius Falco & Julius Fructus Coss. A. U. 946. b BELLICIO sch. Pighii. c Turellae. s. Τερέλλης Libertae mentio apud Phlegon. l. 1. de Longaev. Gud.

2 *Sublaci in via regia.*

S . P . Q . R
IMPERATORI . CAESARI
. . . LRIO . . . .
QVOD . VIAE . MVNITAE . SVNT
EX . EA . PECVNIA . QVAM . IS
AD . AERARIVM . DETVLIT

Grutero Gutenst. ex schedis D. a Valle, qui exscripsit.

3 *Cluniae in Hispan. in pulchra columna.*


DIOCLETIANVS . IOVIVS . ET
MAXIMIAN . HERCVLEVS
CAES . AVGG
AMPLIFICATO . PER . ORIEN
TEM . ET . OCCIDENTEM
IMP . ROM
ET
NOMINE . CHRISTIANORVM
DELETO . QVI . REMP . EVER
TEBANT

E Schotti schedis aliorumque.

4 *Cluniae Hispan.*

DIOCLETIAN . CAES
AVG . GALERIO . IN . ORI
ENTE . ADOPT . SVPERS
TITIONE . CHRIST-
VBIQ . DELETA . ET . CVL
TV . DEOR . PROPAGATO

E Schotti schedis.


5 *In foro civitatis Nepesinorum, in Faliscis: in basi.*

Contuli cum ms. Urs. GALERII

D . N . C . GALERI
O . MAXIMI
NO . NOB
CAES
*PRINCIP . IVV .
R . P . NEPESINO
RVM


Vidit Smetius, & Ant. Augustinus in schedis.
* PRINCIPI. Urs. schedae.

6 *Basis statuae equestris, reperta anno M. D. XLVII. ad arcum Septimii Severi. litera oblonga, turpis declinans.* CONSTANTII.


RESTITVTORI . VRBIS . ROMAE . [a]ATQVE . [c]ORB
[b]ET . EXTINCTORI . PESTIFERAE . TYRANNIDIS
D . N . FL . IVL . CONSTANTIO . VICTORI . AC . TRIVMFATORI
SEMPER . AVGVSTO
[c]NERATIVS . CEREALIS . V . C . PRAEFECTVS . VRBI
VICESACRA . IVDICANS . D . N . M . QVE . EIVS

Vidit Smetius. Boiss. T. III 109.
a QVAE Boiss. ADQVE schedae Pighii. b Non habet ET Boiss. c V. cccCXLI. 3.

1 *Tarracone ad D. Annam, in basi altaris.*



Ex Apiano & Verderii, Schotti, Clufiique fchedis.

2 *Extra Mirabellam.*

ORBEM TERRAE
ROMANO NOMINI
SVBIVGANTI
DOMINO. NOSTRO
FL. CONSTANTIO. PIO
FELICI. *SEMPER
[1]AVG. AVG
ANNIVS ANTIO
CHVS. V. P. CORR
[2]MI. ET. AL. [3]SEN
VS

Ex Aldo.

* non habet Urf.
1 IMP. Urf. fched.
2 Aemiliae & Flaminiae. In has enim tota Gallia togata divifa fuit. vid. Pancitoll. Not. occid. c. 59.
3 SENAT. Urf. fched.

3 *Spoletii in basi marm.*

FL. CONSTANTI
NOBILISS. AC. FELICISS
CAESARI
COLL. FABRVM........
.....VENERIS........

Grutero Gutenft. ex Urfini fchedis.

4 *Romae in aedibus Julii Madalenae Romani, ad Sanctum Marcum, sub Capitolio.* MAXIMIANI

MAGNO. INVICT. AC
SVPER. OMNES. RETRO
PRINCIPES. FORTISSIMO
IMP. CAES. M. AVRELIO
MAXIMIANO. PIO. FEL
INVICTO. AVG. COS. III
P. P. PROCOS
SEPTIMIVS. VALENTIO. V. C
AVG. PRAEF. PRAET. COM. VV
D. N. M. QVE. EIVS

Vidit Smetius.

5 *Romae in dorso Viminalis.*

M.* AVREL. VAL
MAXIMIANO
INVICTO. AVG
PONT. MAX. IMP
VIII. COS. III
P. P. P


F Marliano. Boiff. T. vi. 120.
* AVRELIVS Boiff.

6 *Apud Isaram fluvium, am Reuterweg.*

IMP. CAES. AVG. MAXIMIANO
P. F. INVICTO

Apian.

7 *Tarracone in Barbarae, in capella D. Jacobi sub altari infixus parieti lapis.*



* MAXIMINO. Sic MS. Vatican. omiffis antecedent.
† A. U. 1046. Chr. 294.
‡ VALERiani Filius. MS. Vatic.

E Schotti fchedis. nec aliter Verderianae, nifi quod eis abfit verfus primus, quemadmodum etiam in fchedis Manutian. Bibliothec. Vatican.

8 *Willifordus juxta murum Severi in Anglia.*

PRO. SALVTE
DN. MAXIMIANO
FOR........CAE
VA............
....
..........OAED

Gruterus e Camdeni fchedis.

9 *Cluniae Hispan.*

IMP. MAXIMIAN. HERCVL-
CAES. AVG. CONSTANTIO
IN. OCCID. CAES. EFFECTO
ET. IMP. REIP. LONGE. ET. LA
TE. AVG. DIOCLETIANO. PRIN
CIPI. INVIC. ET. VNO. TEMP-
COLLEGA. EFFECTO-

E fchedis Schotti & Stradae.

10 *Bononiae in curia, in columna circumcirca scripta Fabrettus dicit esse marmor Felsineum optimae notae.* MAGNENTII

LIBERATORI. ORBIS
ROMANI. RESTITVTORI
LIBERTATIS. ET. R. P. CON
SERVATORI. MILI
TVM. ET. PROVINCI
ALIVM. D. N.
MAGNENTIO
INVICTO. PRINCI
PI. VICTORI. R.
. . . .

Sic ex marmore Felfin. Malvafia reftituit p. 160. & Fabretti emendat. p. 1 . quae corrupta erat apud Gruterum ex Velferi fchedis.

ONSTANTINI

1 *Romae in Basilica Lateran.*

IMP . CAES . FL . CONSTANTINO . MAXIMO . TRIVMFATORI
PIO . FEL . AVG . P . P
OB . RES . BENE . ARMIS . CONSILIISQ . GESTAS . ET . REMPVBL
PACATAM
S . P . Q . R

E Mazochio & Metelli schedis.

2 Boiss. T. III. p. 121. *Inscriptio arcus Constantini, in capite viae Appiae, ad Amphitheatrum.*

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM *DICAVIT

In eodem arcu subsacrificiis insculptis
VOTIS. X
Item
VOTIS XX

In eodem arcu subsacrificiis insculptis
†SIC. X
Item
‡SIC. XX

† VOT. Donat. lib. de Urb. Rom. c. 6.
‡ VOT. Id.
* DEDICAVIT. Id.

Intra fornicem majorem ejusdem arcus, legitur hinc
LIBERATORI. VRBIS
inde vero
FVNDATORI. QVIETIS

Vidit Smetius. Apianus.

3 *Romae in Thermis Constantini, tabula marmorea.*

Boiss. T. III. p. 103

†Q . FABIVS . HONORA
TVS . T . ANNAEVS
PLACIDVS. AMPLIFICA
TORI . VRBIS . ROMAE
DOMINO NOSTRO
CONSTANTINO . ‡MA
XIMO. PIO. FELICI. VI
CTORI . AC . TRIVM
PHATORI. ‖SEMPER
AVG. ANICIVS. PAVLLI
NVS . IVN . V . C. CON
S. ORDINARIVS. PRAEF
VRBIS. ET. IVDEX. SA
CRARVM. *CONSTITV
TIONVM . PIETATI
EIVS . SEMPER . DICA
TISSIMVS

† Haec duo nomina Q. Fabius Honoratus T. Annaeus Placidus sunt & in fine inscript. CCCLVI, 1. Velseri schedae aliter versus distinguunt.

‡ MAXIM. schedae Velser.

‖ SEMP. Velser. utraeque.

E Mazochio & Apiano.

* Mendum fabrile hinc subesse ac pro *constitutionum* legendum *cognitionum* suspicatur Guth. l. 1. de Offic. dom. Aug. c. 25. Magis tamen vulgatam lectionem retinendam esse putat, agnoscitque Judicem constitutionum, qui in controversiis e dubia constitutionum interpretatione ortis judicium suum interponeret potestate ad id a principe facta. Ego vero, cum ejus rei nec vola nec vestigium extet in universa juris prudentia, huic Gutherii conjecturae nihil tribuendum censeo, & scribendum *cognitionum*, quod plane convenit cum c LXXXIV, 8 & MXC. 19. quae de eodem Anicio Paullino est. Mendum non est fabrile, sed describentium, & ineptorum Correctorum, ut pleraeque omnes a Mazochio & Apiano vulgatae inscriptiones omnium pessime sunt descriptae, & ejusmodi vitiis scatent, qualia in iis multa Rom. e ex ipsis lapidibus notavimus. Gud.

4 *Romae inventa in foro Caesaris basis, cujus uno latere sequens erat inscriptio; altero ea quae extat pag.* CLXXI 7.

DOMINO. NOSTRO *sic*
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. *HAC
BEATISSIMO. CAESARI
FL †VRSACIVS. V. P
TRIBVNVS . COHORTI
VM . ‡VRBANARVM
X. XI. ET. XII. ET. FORI
SYARI. . . . .

sic
* DCCCXLVII. 3.
† VITRASIVS. Vrs.
‡ Vid. Fabret. inf. c. 3. p. 127.


Ex Panvinio & Ursini ac Knibbii schedis. Contuli.

5 *Romae in Caelio monte, in templo Sanctorum Johannis & Pauli, fragmentum.*

ONSTANT.
BEATISSIMO
OB. PERENNEM
DE. QVADIS. L
EX. EORVM. TE

Vidit Smetius. nec aliter Ch. Pigh.

6 *Romae in vinea Cardinalis Carpensis basis marm.*



† CONSTANTIO Boiss.

* De hac inscriptione vid. Cujac. VIII. Observ. c. 32. & Guth. lib. 3. de Off. Dom. Aug. c. 18.

Vidit Smetius. Boiss. T. IV 97. Vid. Jac. Goth. ad L. 11. Cod. Theod. de distrah. pignor.

‡ Reines. explicat Rationalis summae Rei. & sic postea Jacob Gothofredus, quem vide de hoc munere ad lib. XI. Cod. Theod. leg. 2. Tom. IV. p. 69.

1 *Romae in domo Caesia, in basi marm. pessima litera. Boiss. T. III. 86.*

MAGNO . ET . INVICTO
IMP. CAES. C. VAL. AVREL
*CONSTANTINO. PIO. FEL
INVICTO. AVG. PONTIF. MAX
TRIB. POTEST. COS. III. P. P. PROC
D. N. CORPVS. CORIARIORVM
MAGNARIORVM. †SALAIARIORVM
DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE
EIVS

† SOLEARIORVM Alciatus citat. Sed Ligor. SOLIARIORVM. Panvinius vero sub A. U. 1046. SOLEIARIORVM. Apian. 215. ut hic editur.

* Jac. Gothofredus erasum nomen Maximini & substitutum Constantini ait. Baronius ad Diocletianum refert, cujus nomen C. Valerius Aurel. Diocletianus.

2 *In sinistro latere ejusdem baseos.*

DEDICATA . KAL. IAN
DD. NN. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS
CVRANTE. †THESSIO. SECVNDO. ‡P. C. CORIARIORVM

Vidit Smetius.
† f. TRESSIO e Brix. MCXXXV. 6. ‡ i. e. Patrono Corporis. MDXXXV. 6.

4 *Ravennae in pariete templi D. Joann. Evang. qua viam publicam respicit.*

PROPVGNATORI. IMPERI. ROMANI. FVNDATO
QVIETIS. PVBLICAE. D. FL. CONSTANTINO. MAX
VICT. SEMP. AVG. D. CLAVDI. NEPOTI. DIVI
CONSTANTI. FILIO. SERTORIVS. SILLANVS
V. P. PRAEPOSITVS. FABRICAE. DEVOTV
N . M . Q . E

Arnold. Buchellus IC. Batavus Scaligero.

3 *Altini in marmore longe pulcherrimo, versicolori, maculoso; custoditurque Patavii apud Contarenos.*

DN IMP CESARI (sic)
FL CONSTANTINO MAXIM
PI F VICTORI AVG
PON MAX TRI P XXIII
IMP XXII CONS VII (sic)
P P PRO CONS
HVMANARVM RERVM
OPTIMO PRINCIPI
DIVI CONSTANTI FILIO
BONO RP NATO


Grutero Pinellus. estque gemellum fere illi quod exstat inter miliares pag. CLIX. 6. & Ursatum f. 322.

5 *Celeiae in circuitu monasterii Minoritarum.*

D. N. FL. CONSTANTINO
CLEMENTISSIMO. ATQ. VICT. AVG
*MARTINIANVS. V. P. PRAESES
PROVINC. NORICI. MEDITERR
D. N. M. EIVS

Ex Apiano, Lazio, & Boissardi missis ad Gruterum sched s.
* Hic Martinianus filius forte ejus, qui focius Licinii & ab eo Caesar proclamatus cum Constantino dimicavit, sed victus occisusque A. Chr. 325. Zosimus lib. 2. Sigon. lib. 3 occid. imperii. Ad Martinianum Vic. Afr. l. 44. C. Theod. de decurion. A. Chr. 358.

6 *Viennae Allobrogum. In foribus sc. ad portam Abbatiae D. Petri, qua itur Valentiam.*



Ex Simeonio
a VT Bosco in bibliotheca Floria emi. c. r. b P P. F. VIENN. ita M. Verratius Maurus in libro singulari de jure liberorum c. 33. qui interpretatur Princeps Flaminum. Reinf ius vero Pater Patrum Flaminum. sed exponendum est Praepositus Flaminum. Gud.
c FL. Bosco.

8 *Cordubae ad D. Mariae.*

FORTISS. ET. INDVLGENTISS
PRINCIPI. DOMINO. NOSTRO
CONSTANTINO. VICTORI
PERPETVO. SEMPER. AVGVSTO
*DECIMIVS. GEMINIANVS
VIR. CLARISS. CONSVLARIS
PROVINCIAE. BAETICAE
N. M. Q. E
DICATISSIMVS


Gruterus e schedis Ant. Augustini.
* Ducenn ius Geminus Praef. Urb. sub Galba Imperat. A. U. 821.

9 *Tarracone in templo veteri D. Teclae.*

PIISSIMO. FORTISSIMO
FELICISSIMO. DN
CONSTANTINO. MAXI
MO. VICTORI. SEMPER
AVGVSTO
BADIVS. MACRINVS
V. P. P. H. TARRAC
NVMINI. MAIESTA
TIQVE. EIVS. SEMPER
DEVOTISSIMVS

E Schotti Verderiique schedis.

7 *Viennae Allobrogum prope portam Avenionensem. Eadem est sextae hujus paginae.*



Ex Verderii schedis Gruterus, quidem fere cum superiori.

10 *In fracto lapide castri Leibnicii.*

DN. NN
CONSTANTINO. MAXIMO. *BI
A. PIS

E Lazio.
* Rein. leg. BEATIS.

11 *In castro altero Leibnicz.*

DN. FL. CONSTANTINO
MAXIMO. BEATISSIMO. AC
SVPRA. OMNES. RETRO. PRI
NCIPES. PIISSIMO. SEMPER
AVGVSTO. B. R. P

E Lazio, & Apiano.


1 *Romae in basi magna, reperta in hortis Sanctae Crucis Hierosolymitanae, in Coelio monte.*

DOMINAE . NOSTRAE . FL . IVL
HELENAE . PIISSIMAE . AVG
GENETRICI . D . N . CONSTAN
TINI . MAXIMI . VICTORIS
CLEMENTISSIMI . SEMPER
AVGVSTI . AVIAE . CONSTAN
TINI . ET . CONSTANTI . BEATIS
SIMORVM . AC . FLORENTIS
SIMORVM . PRINCIPVM
IVLIVS . MAXIMILIANVS . V . C . COMES
PIETATI . EIVS . SEMPIR . DICATIS.

Vidit Smetius.

2 *Neapoli ante locum qui vulgo dicitur, La siege de la montagne. Similis* MLXXXVI. 10. *item* 2.

HELENAE.



A Pighio Smetius. Capacius lib. 1. Hist. Neap. c. 8.

3 *In porta Basilicae Antipoli.*

IMP . CAES . VAL
CONSTANTINO . AVG

A Scaligero.


4 *Ad Sanctum Severinum in veteri Campania, ita Pighii scheda. Septempedae ad S. Severinum in foro publico. Gud.*

MAGNO . PRINCIPI
FLAVIO . VALERIO
CONSTANTIO
NOB . CAES
ORDO
SEPTEMPEDANORVM
D . N . M . E . PVB *

E Scaligeri schedis.

* Publius Sallustius. T. F. *Pub. Virgula Scrib. Aed. ex testamento.* HS-II. addit Scheda Pighii, quae habebat ex codice Pontificis. Giut. Al. schedae versum ultimum ita exhibent cum lacuna.
D . N . M . E .
/ / / / / / / / / / / / / /
PVBL . SAL . T . F
PVB . VIRGVLA . SCRIB
AED . EX . TESTAMENTO
HS . II Gud.

Stumfius ponit 627. p. 2. in tali columna.




5 *In urbe Martinacht, quam veteres Octodurum nominant, in grandi columna, e rudi lapide, sub posteriore porticu templi S. Mauritii.*

IMP CAESARI VAL
CONSTANTIO PIO
FEL . INVICTO AVG
DIVI * CONSTANTII . PII AVG
FILIO . FOR . CL . VAL . BONO
REIPVBLICE NATO

E Simlero. * CONSTANT. Stumfius.

IVLIANI.

8 *Romae in vinea Card. Carpensis: basis oblonga, effossa ad templum Joh. & Pauli in Coelio.*



Vidit Smetius. Boiss. T. IV. 100.

* Vid. CCLXXXII. 3. & septimam hujus paginae.

6 *Montoro decimo a Corduba lapide.*

DD . NN
CONSTANTINO
ET
CONSTANTIO
BB . BEATISSIMIS
QVE CAESS
RP . EP

Ex Morali.

FL. CRISPI.

7 *Romae in atrio hortove domus Card. Caesii, in basi.*

FLAVIO . VALERIO . CRISPO
NOBILISSIMO . CAES . FILIO
CONSTANTINI . MAXIMI
ADQVE . INVICTI . SEMPER . AVG
ET . NEPOTI DIVI . CONSTANTI
* OVINIVS . GALLICANVS . V . C
PRAEF . † VRB . ET . IVDEX . SACRARVM
COGNITIONVM . DEVOTVS
N . M . Q . EIVS

Vidit Smetius.

* Fuit Ovinius gener Constantini, Cos. A. U. 1068. 1070. & 1081. Vid. Baron.

† *V. Pagium dissert. Hyp. c. IV. §. 2. & Noris. ad numm. Licin. c. 4.*

9 *Altini in columna.*

AETERNO . PRINCIPI
D . N . FLAVIO . CLAVDIO
IVLIANO . VBIQVE . VENE
RANDO . SEMPER . AVG
BONO . REIP . NATO
* ORDO . POSSESSORESQVE

Ex Panvinio.

* ORDO . POSSESSOR . ISQVE . BRIX
ILLANORVM . OPTATA . DEVOTIO . DEDI
CARVNT . BONO . REIPVBLICAE
NATO

Sic descripsit Camillus Peleg. ad lapidem. Gud.

1 *Veronae in templo divae Mariae in Syrmione, in columna.*

IMP. CAES Φ
DN. FL. CL. IVLIANO
SEMP. AVG. P. M
IMP. VII. COSS. III
BONO. R. P. NATO
PATRI. PATRIAE
PRO CONSS

Ex Sarayna, quod nescio an non eadem sit cum ista quam ibidem visam schedae Panvinii indicant.

2

IMP. CAESARI
DN. FL. CL. IVLIANO
P. F. VICTORI. AC. TRIVMF
SEMP. AVG. P. M. IMP
VII. CONSS. III. BONO. R. P
NATO. PATRI. PATRIAE
PROCONSS
HORTANTE. BEATITVDINE
TEMPORVM. D. D. D. N. N. N
GRATIANI. VALENTINIANI
ET. THEODOSI. AVGGG
STATVAM. IN. CAPITOLIO
DIV. IACENTEM. IN
*CELEBERRIMO. FORI
LOCO. CONSTITVI
IVSSIT. VAL. PALLADIVS
V. C. CONS. VENET. ET. HIST

Grutero communicavit Sculterus.
* CEREBERRIMO. Ita legi in marmore, ait Palermus.

3 *Seniae in Longobardia, in columna quadam.*

IMP. CAES
DN. FL. CL. IVLIANO
P. F. VICTORI. AC
TRIVMPHATORI
SEMPER. AVG. P. M
IMP. VII. CONS. III
BONO. R. P. NATO
PATRI. PATRIAE
PRO. CONS

Ex Apiano.

4 *In Oeniponte.*

IMP. CAES. [a] AN. ROM. F. L
C. A. IVLIANO. PIO. [b] FILIO
AVG. [c] PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. P. [d] PIA. AP. VIII. CON
SVL. III. PARENTI.

E Lazio.
a DNO. FL. CLA. IVLIANO Sic Scal. vid. not. ejus. p. 3 pr b FEL. Scal. c Vide Julianum ipsum in fragmento epistolae publicato inter opera ejus ab Ezech. Spanhemio. p. 451. d TRIB. P. P. P. IMP. VIII. Scal.

5 *Asutae in Ecclesia majori S. Andreae, in columna.*

IOVIANI.

DIV. FL. IOVIANO
TRIVMFATORI
SEMPER. AVG

Ex Angeli Rochae Bibliotheca Vaticana.

6 *Romae in impluvio templi Divi Petri in Vaticano, basis marm. e thermis Antonianis allata.*

VALENTINIANI.

VICTORIIS. TRIVMFISQVE
MAGNIFICO
D. N. VALENTINIANO
INCLYTO. PRINCIPI
SEMPER. AVG
*RVFIVS. VOLVSIA
NVS. V. C. PRAEF
VRB. ITERVM
IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM
CLEMENTIAE. EIVS
DEDICATVS

Vidit Smetius. habet etiam Freherus in Mosellam.
* Cejonius Rufius Volusianus XXVIII. 5 CCVI. 1. CCLXVI. 2. sed hic non est idem. Gud.

7 *Romae in Sancto Angelo in Piscaria: in basi marm. grandi, in duas partes fissa.*

PIISSIMO
FELICISSIMOQ
PRINCIPI
VALENTINIANO
INVICTISSIMO
SEMPER. AVG

Vidit Smetius. Boist. T. V. 29.

8 *Romae ad arcum Septimii Severi, in basi grandi.*

EXTINCTORI. TYRANNORVM
AC. PVBLICAE. SECVRITATI
AVCTORI
D. N. VALENTINIANO
PERPETVO. AC. FELICI
SEMPER. AVGVSTO
*CEIONIVS. RVFIVS. ALBINVS. V. C.
PRAEF. VRBI. ITERVM
VICE. SACRA. IVDICANS
D. N. MQ. EIVS

Grutero Ursinus, descriptore Gutenstenio.
* Cejonii Rufi Albini Volusiani Filius Rufius, comes itineris CL. Rutilio Numantiano, sub Honorio Imp. Praefecto Urbi A. Chr. 414. Hic vero Praef. V. est Decius Caecina Anem. Albinus. CCLXXXVI 7.

9 *In Sicilia in urbe Lilybaeo; hodie Marsala.*

I. CAESAR. FL.
VALENTINI
PIO. FELICI. SEMPER. AVGVSTO
M. VALERIVS. QVINTIANVS. V. C. CON
P. S. CLEMENTIAE. PIETATIQ
EIVS. SEMPER. DICATISSIMVS

E Cl. Marii Aretii Sicilia. Fazellus dec. 1. lib. 7. 1.


10 *Coloniolae in agro Veronensi.*

DD. NN. FL. VALEN
TINIANO. ET. FL. VALEN
TI. DIVINIS. FRATRIBVS
SEMPER. AVGG

Grutero ex ms. Panvinii Sculterus.

1 *Romae in palatio novo Farnesiorum, ad campum Florae, in aversa parte basis Gordiani, cujus ante meminimus, litera haud mala pro tempore.*

VALENTIS.


VICTORIIS.TRIVMFISQVE
MAGNIFCO ⊘
D. N. VALENTI. INCLYTO
PRINCIPI. SEMPER. AVG⊘
*RVFIVS. VOLVSIANVS
PRAEFECTVS. VRBI
ITERVM. IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM. CLEMEN
TIAE.EIVS.DICATVS

Vidit Smetius.

* Hunc Rufium sub Valentin. (primo sc.) & Valente Imp. fuisse docet inscriptio quam Romae in hortis Justiniani descripsi. Gud.

2 *Romae in basi effossa in foro Rom ante aedem Sancti Hadriani, anno xlviii.*

MAXIMO. PRINCIPI
INDVLGENTISSIMO
DOMINO VALENTI.TRI
VMFATORI.SEMPER.AVG⊘
*ET. D. HERCVLI. SACRVM
C.CEIONIVS.RVFIVS.VOLVSIANVS
V.C.PRAEF. VRBI⊅ ITERVM. IVD
SACRARVM.COGNITIONVM
SERENITATI. EIVS. DICATVS

Vid. Smetius.

* Hunc versum addidit Gudius ex lapide, ut videtur.

4 ✶

D. N. VALENTI
MAXIM. PRINCIPI
SEMPER. AVGVST
L. VOCONTIVS. VICASIVS. V.C
PRAEF. VRBI. ITER. PRAEF
LEG. VI. PRAEF. PR. PR. PROV
GAL. PROC. XX. HER. EIVSDEM
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D

Ex Panvinio.

3 *Romae basis marm. effossa ad radices montis Palatini.*

IMP. CAES. FL
VALENTI
PIO. FELICI. VICTORI
AC. TRIVMPHATORI
SEMPER. AVGVSTO
PONT. MAX
TRIB. POT. III. IMP. IV
COS. II. P. P
COH. III..........PR....
D. N. M......

Ursinus Grutero.


6 ✶

DOMINO. NOSTRO
FL. THEODOSIO
AVGVSTO
FALTONIVS. PROBVS
ALYPIVS. V. C. PRAEF. VRB

Ex Panvinio.


5 *Fragmentum baseos, altum ped. 5 ½ effossum Romae in foro Trajani haud procul a Columna ejusdem Anno 1563.*

THEO DOSII.


IERVM. PRINCIPVM. CLEMENTIAM
NCTITVDINEM. MVNIFICENTIAM
SVPERGRESSO
D. N. FL. THEDOSIO. PIO. VICTORI
SEMPER. AVGVSTO
SEX. AVR. VICTOR. V. C. VRBI. PRAEF
IVDEX. SACRARVM. COGNITIONVM
D. N. M. Q. E

Missum Roma per Nicolaum Florentium. Anno 1563.

7 *Romae in impluvio palatii Archiepiscop. Ravenat. in Borgo, basis marm. grandiss & litera pulcherrima.*


SALVIS. DD. NN.
*HONORIO.ET. THEODOSIO
PP. FF. SEMPER. AVGG
†CAECINA. DECIVS
ACINATIVS. ALBINVS
V. C. PRAEF. VRBIS
FACTO. A. SE. ADIECIT
ORNAVIT

* Sic & supra CLXXXXII. 2.

† Caecinae Albini mentio apud Macrob. 2 Saturn.

In dextro latere ita.

sic

DEDICATA. PRIDIAE
NONAS. NOVEMBREIS
*RVST.....II.....LINIO
COS

Gutenstenius Grutero ad marmor descripsit.

* Rusticius & Vitalianus Coss. A. Chr. 520.

ARCADII. ET HONORII.

1 *Romae.*

IMPPP. CLEMENTISS. FELICISS. TOTO. ORBE. VICTORIB.
ARCADIO. HONORIO. ET. THEODOSIO. AVGGG.

AD. PERENNE .... M. TRIVMF. QVOD .... ARVM
NATIONEM. IN. OMNE. AEVVM .... CERE ....
. . . .
ARCVM. SIMVLACHRIS. EORVM. TRIVMFISQ. DECOR.....
TOTIVS. OPERIS. SPLENDOR......

S. P. Q. R

Metellus scribebat ex mſ. Cod. Cardinalis Carpensis.


2 *Romae in domo Francisci Lischae, in Parione: in basi marmorea grandi.*
nunc in hortis Mediceis, in monte Pincio.

D. N. FL. ARCADIO
PIO. FELICI. VICTORI
AC. TRIVMFATORI
SEMPER. AVGVSTO

*CAECINA. DECIVS. ALBINVS. V. C
PRAEFECTVS. VRBI. VICE
SACRA. IVDICANS. DEVOTVS
NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS

Vidit Smetius & Boissardus T. v. 54.
* CECINNA. Boiſſ.

3 *In quinque aut sex magnis marmoribus, statuarum equestrium basem simul efficientibus, ad arcum Septimii in foro Rom. Anno* ∞. D. XLIX. *effossis.*



Vidit Smetius, sic quoque nulla litera variante Cittad. ſchedae.

* Gildonis per Mascezelem fratrem A. Chr. 398 Coss. Honorio Aug. IV. & Eutychiano v. Marcell. Comes. Gud.
† Stiliconis consiliis tribuitur restitutio Africae c. cxxi. 3. Theodosio etiam Juniori adscribitur, cum a tyrannide Firmi eam vindicavit Symmach 10. ep. 1 Zosim lib 4. Ammian. l. 29. Gud.

4 *Romae in aede D. Petri, quae hodie vocatur sacellum Regis Francorum, cum pilae ibi fundamenta foderentur, inventa est marmorea arca, longitudine pedum octonum cum dimidio, latitudine quinum, senumque altitudine, in qua conditam fuisse Mariam uxorem Honorii Imp. apertissimis constitit argumentis. In ea arca corpore jam absumpto aliquot tantummodo dentes supererant, capillique ac tibiarum ossa duo: praetereaque vestis & pallium; quibus tantum auri fuerat intextum, ut ex iis combustis pondo* XXXVI. *collecta sint. Erat insuper capsula argentea longa pedem unum & semissem, latitudine digitorum* XII. *in qua vascula multa ex crystallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata, item annuli aurei* XL. *variis gemmis adornati, erat & smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod creditum est, ipsum Honorium referre. is quingentis aureis nostratibus aestimatus est. praeterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus bulla, earum quas hodie Agnus Dei vocant; per cujus ambitum inscriptum erat,* MARIA NOSTRA. FLORENTISSIMA *laminaque ex auro, in ea haec nomina* MICHAEL. GABRIEL. RAPHAEL. VRIEL. *literis Graecis caelata. item veluti racemus ex smaragdis aliisque gemmis consertus, & discriminale ex auro longitudine* XII. *digitorum, inscriptum hinc:*

DOMINO NOSTRO. HONORIO

hinc DOMINA NOSTRA. MARIA

Ad haec inerat Sorex ex chelidonio lapillo. cochleaque & patera ex crystallo: item pila ex auro, lusoriae similis; sed quae in duas partes dividi poterat. Innumerae pene aliae inerant gemmae, quarum etsi plurimae vetustate corruptae, nonnullae tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant.

Vidit descripsitque Marlianus. Vid. *Barth. ad Claud. Fescennina.* 767.

INCERTORVM

5 *In Leybnicio Castro Episcopi Seccoviensis.*

MEAS. *CLAVDIVS. IV. P. P. P †
N. M. T. D. N. M. QVE. EIVS
SEMPER

E Lazio.
* De eodem alius apud Lazium DIVO. CO. POS. M. CLAVD.

† Id est. *Vir Perfectissimus Praeses Provinciae Norici Mediterranei* vel CCLXXXI. 1. 5

6 *Augustae Taurinorum in aedibus Cassiani Putei fracto hinc inde marmore.*

.....CAESARI. A.....
....IIII. IMPERAT.....
.....ARVS. PRIMVS.....
PRAEF. FABR. T........

E Pingonio.

7 *Georgii oppido Delphinatus, in via militari, quae Mediolanum ducit, prope amnem Druentiam, in cippi parte aversa.*

PIO. PRINCIPI
..... INVICTO
RESTITVTORI. ORBIS
PROVIDENTISSIMO
RETRO. PRINCIPVM
...... B. OMNES
FORTISSIMO
NANIVS. RVF. KARVS. V. P. PROC. II
PRAEFECTVS. *ALPIVM. MARITIMAR
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQ
EIVS

Vid. Spon. *Misc. Erud.* p. 161.

E Sutita qui vidit.
* Vid. Cluv. l. 1. Ant. Ital. c. 32.

1 *Hortini in Faliscis fragm.*

. . . .
. . . .
. . . . OR
DO. ET. POPVLVS. COLONI
AE. FALISCORVM. CV
RANTE. TYRIO. SEPTIMI
O. AZIZO. V. P. *C. V. R. R. P. DEVO
TI. NVMINI. MAIESTATI
QVE. EIVS

Ex Ant. Massae libro de reb. Faliscorum.
* Sirmai delendae sunt, & legendum CVR. R. P. id est *curator reipublicae.*

2 *Romae in hortis Medicaeis.*

*SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS
*RHODASPES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS

Velserus exscripsit in monumentis Vindelicis, & Scal. Isagog. Canon. f. 166.
* De his vide Strabonem lib. I. XVI. qui ait obsides istos Romae fuisse. De Vonone natu maximo Phraatis liberorum obside Romae, & accito
* Parthis in regnum vid. Tac. lib. 2. Annal. c. 2.

3 *Romae apud Delphinios.*

Boiss. T. VI. 2.

SITALCES. DIVI AVGVSTI sic OPSES. *THRACVA	IVLIAPHYLLIS SOROR. EIVS

Gruterus e schedis Knibbii.
* THRACVM Boiss.

4 *Neapoli in basi statuae muliebris, cujus ambae manus sunt involutae vesti. scheda Pighii. quae tanquam columnae pars est ex Pario, in domo Comitis Mataloniae.*

Contuli cum Pighiano. Grut.

ΒΑCΙΛΙCCΑΝ ΑΡCΙΝΟΗΝ ΒΑCΙΛΕΩC
ΠΤΟΛΟΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑCΙΛΙCCΗC ΒΕΡΕΝΙΚΗC
*CΤΡΑΤΩΝΙΚΗ ΒΑCΙΛΕΩC ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ

Grutero ex Metelli schedis Gutenstenius.
* CΤΡΑΤΟΝΙΚΗ. Pigh.

5 *Romae in hortis magni Ducis Hetruriae.*

Ο ΚΛΕΙΝΟCΙΝΙC ΒΑCΙΛΕѠC ΑΜΑΖΑCΠΟC
Ο ΜΙΘΡΙΔΑΤΟΥ ΒΑCΙΛΕѠC ΚΑCΙΓΝΗΤΟC
Ѡ ΓΑΙΑΠΑΤΡΗC ΚΑCΠΙΑC ΠΑΡΑΚΛΗΟΡΑC
Ι ΒΗΡΙΒΗΡΟC ΕΝΘΑΔΙΤΕΤΑΡΧΥΤΑΙ
ΠΟΛΙΝΠΑ ΡΙΡΗΝΗΝ ΕΔΕΙΜΕΝΙ ΚΑΤѠΡ
ΕΛΛΙΟΘΗΛΟΝΑΜ ΦΙΜΥΓΔΟΝΟC ΝΑΜΑ
ΘΑΝΟΝΔΟ ΠΑΔΟC ΑΥ CΟΝѠΝ ΑΓΗΤΟΡΙ
ΜΟΛѠΝΑΝΑΚΠΝΑΡΘΙΚΗΝC ΦΥCΜΙΝΗΝ
ΠΡΙΝΠΕΡ ΠΑΛΛΖΑΙΧΕΙΡΑΔΗΙѠΙΛΥΘΡѠΙ
ΙΦΘΙΜΟΝΑΙΑ ΙΧΕΙΡΑΔΟΥΡΙΚΑΝΟΖѠΡ
ΚΑΙΦΑC ΓΑΝΟΥΚΝѠΔΟΝΤΙΠΕΖΟCΙΠΙ
Ο ΔΑΥΤΟCΙCΟC ΠΑΡΘΕΝΟΙCΙΝΔΙΔΟΙΑΙC

Exscripsit Ursinus, qui misit Grutero ut & hanc sequentem, quam tamen non recordatur ubi viderit.
Vide Scalig. not. fol. 2. pr.

6

ΑΤΕΙ::::::ΡΙΝΕ::::.ΡΙΔΕΙΚΕΤΟΝΛΗ:ΔΡΟΕΛΟΙ
ΑΤΟΝΑΕΚΑΝΙ ΗΤΕΙΝΑΤΟ ΠΑLΟCΝΙΟ
ΑΕΝΙΜΕΕCΙΤΕ ΤΙΜΕΝΟΝ ΗΓΕΜΟΝΕCΕΙ
::::ΔΕΓΙΑΗΙΜΥΡΑΜΕΝΟΝΙΟΙΜΕΝΙ
:: :: ΜΙΡΟΙCΙΝΠΙΦΟΙΜΕΝΗΕΛΕΓΟΙCΙΝ
ΑΙΜΕΝΗΙΟΙΗΓΛΜΜΟΡΟΝΕΥΕΠΙΗC.
ΤΟΜΕΝΟΙΧΕΤΑ::::ΤΟΝΥΠΛΗΜΗCΙΝΛΝΑΥΡΟΥ
ΤΗΕ::::::ΥΑΙΡΑΠΤΗΝΥΡΑΜΕΝΟΙΟΛΙΘΟΝ
:: :::::ΝΔΑΡΥΠΕΡΟΕΝΕΗΝΑ:::ΠΑΛΛΑΙΟΗΚΑΤΟΙΥΜΙΟ
sic sic
ΑΛΡΙΑΝΟC ΜΟΥC : : : :: ΑΙΜΟΝΑΦΙVΓΑΤΝVΝ
::::::ΖΡΔΕΝΟΨΙΓΟΝΟΙCΙΝΠ:::::ΚΛΕΑΤ.:::::.
:: :::::ΜΑΠΑΜΙΗCΑΙ ΑΛΟCΕΥΦΡΙΙΥΝ.

Vide Scaligeri notas, ubi hos senarios restituit.

